

R. P.

FRANCISCI REMONDI DIVIONENSIS, E SOCIETATE IESV, CARMINVM, ET ORATIONVM

PARS SECVNDA.

NVNC PRIMVM IN GRATIAM *studiosæ iuuentutis in lucem edita: continens ea quæ prioribus editionibus omissa fuerant, & aliqua etiam quæ postea ab eodem auctore conscripta sunt.*

COLONIÆ,
Apud Conradum Butgenium,
Sub signo Arboris

ANNO MDCXV.

TYPOGRAPHVS LECTORI.

ME quamplurimi, & quidem graues, & magnæ auctoritatis viri, sæpe, & magnopere hortati sunt, vt quæ prioribus editionibus omissa, & ab auctore (sicut & alia quæ iam edidimus) dum iuuenis esset, conscripta fuerant, publicarem; nec non aliqua etiam adderem, quæ ille idem postea composuit. Ego vero quid agerem? Illa non habebam apud me. Erant auctoris in manibus. Adeundus erat. Adiui, rogaui, institi, tandem importunus, id quod omnes optabant, eripui. Lector, lege

& fruere: & numerum Epigram-
matum sequentium, Primæ part
libri secundi numero memineris e
se continuum: Orationes vero etiam
ad numerum præcedentium orati-
onum esse iungendas. Non mino-
rem hæc quæ recenter, quam quæ
prius excusa sunt, tibi affe-
rent voluptatem.
Vale.

FRANCISCI REMONDI SOCIETATIS IESV, ORATIO XIII. de ingenij cultu.

Habita Romæ in aula Collegij Romani, Societatis IESV, *in instauratione studiorum. Anno* 1586.

VEstrum omnium conſpectus (viri Illuſtriſſimi ceteriq; Auditores nobiliſſimi) in hac cœli facie ac propè hyemali tempeſtate, verna mihi luce iucundior, quæſitam totis hiſce feriarum diebus, non mediocri meo cũ labore dicendi mihi nunc materiam præbet. Tanta enim ex veſtro vultu atque oculis, veluti quibuſdam ſimulacris, ingeniorum pulchritudo ac decus exiſtit, vt nutantem adhuc meam ad ſeſe orationem rapiant: & quoniam dicendum eſt, non niſi de ingeniorum cultu, ac præſtantia me dicere patiantur. Quæ res profectò eò mihi gratior eſſe debet, quò nihil poteſt eſſe optabilius, quàm vt eam , quam propè incredibili Dei immortalis beneficio colendam poſſeſſionem accepiſtis, copioſiſſimo locupletatam fructuum omnium genere,

atque admirabili rerum varietate ornatam amplificatamque ſeruetis. Vobis autem erit, vt opinor, non iniucundum ea audire, quæ de re omnium, quæ hic orbis amplectitur, longè pulcherrima magnificentiſsimaq; dicantur, & ea de re, quæ quò vehementiùs vnumquemque ſua ſpecie in ſui admirationem rapit, eo maiorem vobis ac pleniorem lætitiam afferre debet, quod veſtra ſit, & ita veſtra, vt cum Deus immortalis ampliſsimum hoc terrarum orbis imperium homini dederit, ingenium tamen illi vnum, præter cætera ſingulari quadam beneficentia dediſſe videatur. De cuius ego natura ac dignitate primū, deinde de perfecto cultu, ac proſtremo de præcipuis fructibus, dū hoc tēpore apud vos diſputo, gratiſsimum mihi erit, ſi pro veſtro ſingulari iudicio ac prudentia, non tam ſpectetis, quid à me tanta de re dicatur, quam quid dici magnopere oporteat, vt ijdem, pari ratione, non ſolùm quales hac in re ſitis, verum etiam quales vos eſſe deceat, conſideretis, & quæ mihi cauſa dicendi fuit eadem cauſa ſit vobis auditā præſtandi. Ea enim eſt humani ingenij natura, vt quantum illius eſt dedecus ac tenebræ, ſi aut doctrinarum omnium luce careat aut cæteris virtutum ornamentis ſpolietur, tantum in eo lumen, ac tanta maieſtas eluceat, ſi neque vlla rerum præſtantiſsimarum ignoratione inobſcuretur, neque vlla vitiorum

lab-

labe sordescat: Nam cum & cœlestes illi globi nescio quo cieantur impulsu, quem neque sistere vlla ex parte posint, neque retrouersare, & non modo ea quæ sensu interiore vigent, verumetiam quæ suis nituntur stirpibus, ea hauserint à natura atque expresserint, quæ in suo genere perfecta sint omnia: ita in homine quiddam, quod scientia cultum, virtute perfectum esset, Deus immortalis ingenerauit, quodque ita cæteris naturæ quasi miraculis antecelleret, vt se ille vnius hominis opificem mallet, quàm tot ac tam variarum rerum procreatorem videri. Quid enim est tàm admirabile, quàm tàm incredibilem orbis partium diuersitatem ac speciem, vnius ingenij quasi motu versari? Quid tàm magnificum, quàm in hoc vno tanquam theatro ac domicilio, ita omnia diuinæ argumenta potentiæ, lumina rerum omnium, gloriæ ornamenta splendescere, vt quod de annulo Pyrrhi Epirotarum regis memoriæ proditum est, in cuius gemma auro illigata, nouem musarum chorum, non ars vlla, sed natura ipsa, discurrentibus maculis, ac serpentibus, riuulorum in morem, venulis, sua sponte inscripsisset, sic collectam in humano ingenio, & congestam huius vniuersitatis speciem, dignitatem, maiestatémque cernamus? Quid tàm circumfusum tenebris, ac tàm cœca caligine obductũ, quod illius lucem splendorémque possit ef-

fugere ? Quid tam excelſum ac tam in altum editum, quod non primo quaſi oculorum ia-ctu teneat, cum altiſſimum ac principem ob-tinens locum, tantò ſibi minùs ardua omnia ac difficilia videri oportere intelligat, quantò ſe omnibus excelſius ac ſublimius eſſe videat? An verò exiſtimatis vllam tantam eſſe, non di-co in rerum initijs, cum ad ſuas ſedes ac do-micilia conuolant, ſed in altiſſimis cœleſtium orbium conuerſionibus, velocitatem, qu[illegible] poſſit vlla ex parte, cum humanæ mentis atq ingenij incredibili celeritate conferri? Qui[illegible] enim tàm inauditum, quàm puncto tempo-ris, per hanc rerum infinitatem vagari, iis[illegible] quibus longiſſimè abſis, intereſſe, quæ nun-quam videris, qnodammodo aſpicere, qu[illegible] ſemel videris, ſignata in animo eorum ſpec[illegible] ac pulſu imaginum, eadem, etiam ſi inter[illegible] rint, quotieſcunque lubeat, intueri? Jam ve[illegible] quantam illius dignitatem nobilitatemq[illegible] eſſe arbitramini, quod non, vt ineptè ac ri[illegible] culè philoſophi quidam olim ſomniarunt, nescio qua cęli curſu expreſſa materia ſatum, ac generatum habemus, ſed quod ita ex vna il-la beatiſſima ac feliciſſima mente delibau[illegible] mus, vt pulcherrimum hoc corporis domici-lium, veluti radio quodam, vt cum Plato[illegible] loquar, illuminetur diuinitatis? Iam quátu[illegible] illud eſt, quod cum ad immortalem felici[illegible] tem ac gloriam procreati ſimus, hanc ipſa[illegible]

puri[illegible]

purissima ac liquidissima perennis illius atq; inexhaustæ bonitatis cognitione, quæ in intelligentia diuinitùs insidet, comparamus? Hoc igitur tantum Dei opus, tam admirabile donum, tam opulentam ingeniorum possessionem, ita nobis à Deo datam esse fateamur necesse est, vt tantum in ea colenda atque ornanda sedulitatis ac laboris existat, quantum in illo fuit in ea nobis largienda, beneficentię: ne si muneris amplitudinem fraus debiti vlla sequatur, frustra nobis Deus immortalis consuluisse, nos turpiter, ne dicam impiè, illius spem expectationemque fefellisse videamur. Quo mihi fœcundior de vobis lætandi seges excrescit, quòd vestrum alij velut in herbescenti adhuc viriditate, tantam futuræ spem vbertatis polliceantur, quantam sanè ab ijs, qui vos intuentur expectari oporteat, alij vero ita sese iam extulerint, vt fieri non possit quin breui tempore ingrauescens maturitas, copiosissimos vsquequaque fructus effundat. Sed pro vestri ingenij dignitate ac præstantia, quoniam hoc mihi secundo loco dicendum esse statueram, videte quantopere diuinum hoc, in ingenio perfectè colendo, studium, labor ac solicitudo, reliquis debeat hominum studijs, artibus, & curis omnib. antecellere. Etenim cum humanus animus is sit, qui cum alia re nulla, quæ naturam parentem habeat, comparari possit, profectò vti regiæ

vestes præ ceteris lucent, sic id omne quod ad illius cultum dignitatemque consumitur, inter rerum omnium ornatum eminere oportet, atque in oculis omnium enitescere: vt Xenophontem Socrates adolescentem adhuc, non sine causa demiraretur, qui vbinam pretiosæ vestes ac gemmæ venderentur, sciret, vbi verò emerentur ingeniorum atque animorum ornamenta nesciret: & ciuem, nescio quem, amplissimis quidē facultatibus affluentem, sed omni doctrinarum gloria vacuum, aureum mancipium esse appellandum putaret. An igitur vlla est ars, vlla corporis exercitatio, agrorum cultura, picturæ nobilitas, cōcentus musicorum, certaminum species, armorum disciplina, industria militum, maiestas imperatorum, quæ præ his, quibus ingenia coluntur, ingenuis artibus, præ hac animorum exercitatione, pulchritudine doctrinarum, præ hac denique regina rerum, quæ in animo sedem habet, sapientia, vllum nomen, vllam gloriam, vllum decus, aut præ se ferre, aut mereri videatur? Agricolarum quidem solertiam ac miram in terræ aratione, ac frugum satione diligentiam natura miratur, ridiculum tamen est, nihil incultius rusticorum animis, ingenio nihil horridius esse: colunt inculti terram, & dum emergentes idemtidem inimicas frugibus herbas depascuntur, ita syluescunt, vt ijs quibus agros

libe-

liberant sentibus, se ipsos & inuoluant, & obruant. Quod quidem sapientissimus Lacedęmoniorum legislator multò ante prouidit, quàm omnium penè rerum publicarum principem suis institutis conderet ciuitatem: cum non solum agrorum exercendorum curam, sed ne vllam quidem aliam minus ingenuam operam Lacedæmonijs committendam esse decreuit: eò quòd non deessent mancipiorum seruorumque greges, qui ceruices ad iugum natas oneri illi subijcerent, quod à Lacedæmoniorum libertate atque adeò maiestate abhorrere arbitraretur. Tu mihi forsan digitorum in fidibus tractandis argutias, fidiculasque numerose sonantes, delicatissimamque lyræ concinnitatem obijcies. ne tu, si his tibi rebus tantummodo places, & quid ipse sentiam quæris, non malus mihi nugator videris. sic enim à Demarato prudentissimo viro accepimus, superbum olim irrisum esse Citharœdum. At quid elegantius, quid suauius, quid iucundius concentu vario musicorum, sono interuallis iūcto disparibus, mollitudine ac flexione vocularum, acutis denique cum grauibus temperatis, tam concordi discordia? nimirum, præclarum id sanè: nã & auicularum etiã chori, in opacis ramusculorũ vmbraculis, suos tã dulciter cantus modulantur, vt si musici so-

la se voce iactitant, & non illam potius diuinam Platonis harmoniam colunt, non magnopere ab auibus differre videantur. Sed hæc leuiora sunt. quid de præstantissimis quibusque nobiliorum artium principibus dicèdum esse arbitramini? Polycletum quidem, Myronem, Phidiam, aliosque quamplurimos, qui olympiade 84. floruerunt, præclara illa ac penè singularis fingendi ars ita extulit, vt non tam veris ac penè spirantibus simulachris Regum Jmperatorumque nomen ab interitu vindicarint, quam sui ipsi memoriam, ac viuá diuini cuiusdam ingenij expressam imaginem æternitati consecrarint: neque tam Alexandri aut Philippi veræ effigies ac statuæ, quam Lysippi, & Phidiæ esse dicantur. Sed profecto nihil me mutum, nihil inane, nihil mortuum mouet. Et si enim illorum artificum ingenia viuere adhuc ac penè loqui videntur, in marmore tamen & loquuntur & viuunt: quæ verò dignitas, quę laus, quę gloria illius esse possit, qui admirabilem illam ac propè diuinam, ingenij vim ac facultatem, à Deo immortali donatam, ad cœleste decus atque ornamentum procreatam, ad saxorum agitandas moles, ad æris ac ferri domandam duritiem conferat, id vnum die noctuque verset animo, ea vna in re non minus leui, quam laboriosa conquiescat? Sed tamen hoc, vt dixi, qualecumque est, mirificam habet in arte dignitatem: & licet minùs

minùs ingenium ornet, ingenij tamen acumẽ solertiamq; declarat. Quid enim de ijs dicã, qua oratione vtar, qua voce, quo animi sensu, quid inquam de ijs loquar, qui suę pulchritudinis ac formę, quam colere assiduè deberẽt, obliti, scelerum ac flagitiorum artifices, alienas nescio quas effigies, ac simulacra tam turpiter hauriunt oculis, ebibunt animo, pectore colunt, cogitatione sorbent? qui venantur, qui aucupantur, qui vndique impuras expiscantur species, quas non in marmore, aut ære imprimant, sed in mente atque animo ita cõdant atque infigant suo, vt, miserum me! illã, illam inquam pulcherrimam Dei immortalis imaginem, simulacrum diuinitatis, sanctitatis domicilium, nouo quodam artis genere, in turpissimam ac flagitiosissimam rerum adamatarum formam naturamque conuertant. Sed in hæc & alia improborum hominũ perniciosa studia inuehi, & si non omnino abs re, qua de agitur, alienum videri possit, huius tamen nec loci esse videtur, nec temporis. Quãobrẽ vt in suscepto cursu insistat oratio mea, neque, si fortè deflectat, in difficilem ac scopulosum aliquem locum incurrat, videte obsecro, id quod ante dicebam, ex reliquarum artium ac studiorum natura, quantum diuinæ huic rerum omnium cognitioni ac virtutum luminibus tribuendum putetis. Ego enim sic existimo, vnico illius, quem sapientissimum

Apollinis oraculum iudicauit, exemplo, ac sententia, rem totam explicari atque intelligi posse. Etenim cum Alcibiadem, studiosum quidem adolescentem, adhuc tamen in dicendo rudem, in ipso pene concionis aditu, coràm Atheniensibus contremiscentem vidisset, quid hoc, inquit, rei, Alcibiades, quid te tantopere perturbat? Nimirum, ô Socrates, nónne vides quanta me hominum multitudo circumstet? cui Socrates, quid? tune statuarium, aut pictorem, aut musicum pertimescis? minimè vero, inquit ille, quos igitur? argentine atq; auri gemmarumque venditores atque opifices, an potius nautas atq; agricolas? nimirum iocaris, opinor. Atqui, ait Socrates, insignis Atheniensium ac magnifica ciuitas, non nisi huiuscemodi hominum gregibus constat. Videtúrne hic apertum de omnibus omnium hominum studijs ferre iudicium, qui vna ex parte adolescentem imperitum quodammodo, atque indoctum, doctrinæ quidem certè studio ardêtem, maximis ceterarum artium magistris anteferendum censeat, ex altera vero Athenarum vrbem scientiæ disciplinarumque præsidijs atque ornamentis nudatam, non Martis, sed rusticorum pagũ esse arbitretur? Vna est ingenij eo quo dixi modo exculti, ad omne decus via, vna humani animi possessio, in quam fœcundissima ad veram gloriam semina ia-

ctari.

ctari possint, ex qua denique immensa immortalitatis seges existat. Turpe est atque abiectum in sempiterna ignorationis nocte sordescere. In clarissima vero scientiæ luce versari, atq; in omnium oculis habitare, gloriosum. Neque vero Jmperatorij nominis pōpa, aut armorum fulgor, qui bellum inferre orationi meæ tacitum videtur, magnopere me terret, neque ita oculorum meorum vim atque aciem perstringit, vt ad sese dicentem vlla ex parte conuertat. Quid enim est, quod militaris exercitatio ac disciplina, cum hac animorum atque ingeniorum arce ac præsidijs de dignitate posſit, ac laude contendere? An quod prouincias ac regna tueatur, aut si mauis, terrarum orbem nutu regat, flectat imperio? Tu igitur animi bonis, bona fortunæ arbitraberis esse meliora? tu alios regere, quam sibi imperare gloriosius duces? tu immortalibus rebus interituras antepones? quid quòd vnus est bellorum omnium finis, pax? atqui Doctrinæ omnes ornamenta sunt & pacis, & otij. Quis igitur est tam demens, qui paci bellum præferat, cum bellum fateatur pacis causa esse susceptum? Quamobrem qui bello atque armis nihil vtilius, nihil esse beatius putant, & cæde & sanguine saturentur: etsi enim illud & iustum & sanctum & necessarium esse potest, & esse debet, non tamen belli finem, bellum esse

volumus, neque in medijs incendijs incendio pascimur: sed vitę nobis tranquillioris, ac melioris initium quærimus, & miseriarum ac discordiarum exitum: quem si consequamur, omnis illa repente tempestas ac turbo residet, frangitur ira, flamma restinguitur: vt quantò suauius est ac felicius, insigni aliquo ac præstanti bono frui, quàm illud summo labore conquirere, tantò belli exitus, quem litterarum studia atque ingenij cultura sequitur, armorum tumultibus antecellat. Sed quid plura disputo? esto, sit maxima Imperatoris gloria: vni vera laus ac palma debeatur Imperatori profectò hanc tantã laudẽ, tã immensum decus, tam late effusam victoriarum ac triumphorum lucem, non laterum firmitas, non robur lacertorum, sed mẽtis quędam elaborata perfectio, sed ingenij scientia & prudentia militari, & pulcherrimis rebus informati acies, sed animi omnibus virtutum præsidijs instructi potentia parit. ita vt his omnibus ornamentis ab Imperatore detractis, nudus tibi repente existat ex Imperatore gladiator, cuius si te in arena certamen oblectat, malim ego sanè pugnantes spectare cum leonibus vrsos. Non enim corporis robur, sed virum virtus, & sapientia facit, vt cum minor ille Scipio, quo maiorem Roma vix vllum habuit, à nescio quo, bellator minime bonus appellaretur, se non bellatorem, sed sapientem

esse

eſſe reſponderit. Sed quid ego ingenij ſapien-
tia inſtructi vim, cum armorum acie confero,
cum olim bellorum præſtantiſſimi duces, vl-
tro ſe vinci artibus iſtis ac ſuperari confeſſi
ſint ? nonne Pyrrhus Romanorum hoſtis a-
pertè profeſſus eſt, ab Theſſalo oratore cele-
berrimo, plures eſſe vrbes eloquentia captas,
quam ab ſe armis domita oppida? Quid Ale-
xander, Macedonum Regum gloria, nonne
Homeri cæcitatem, quæ Heroum memoriæ,
penè tenebris vetuſtatis oppreſſæ, lucem im-
mortalitatis dediſſet, omnibus illis Heroi-
bus viriſque fortiſſimis anteponendam puta-
uit? nonne illum eundem, ſi reuiuiſceret, om-
nibus omnium gentium ac nationum victo-
rijs cariorem ſibi fore teſtatus eſt? Quid quod
ille idem qui ſe orbis terræ victorem gloria-
retur, eò Ariſtotelis doctrina, ac ſapientiæ
maieſtate compulſus eſt, vt laureatos impera-
toris faſces, Philoſophiæ regi penè ſubmitte-
ret, & præſtare diceret rerum cognitione in-
ſignem eſſe, quàm ſola rei militaris arte flore-
re? Quis igitur eſt, qui cedere armorum glorię
rerum ſcientiam credat, cui Reges maximi,
ſummi Jmperatores, Heroes, clariſſimi, cedãt?
Quis non Homerum, per quem Agamemnon
viuit, Agamemnone beatiorem, aut Ariſtote-
lem, per quem ſe felicem Alexander prædicat,
Alexandro feliciorem arbitretur? Hic ſplen-
dor, hoc decus, hi triumphi, hæc maieſtas! in

animo atque ingenio pulcherrima rerum humanarum diuinarumque cognitione exaggerato, imperij sedem ac domicilium collocare, in suo regno dominari; à se ipso, non à nescio qua interitura rerum specie, præmia immortalitatis ducere. Sed quoniam expectare videmini, vt hac tertia orationis meæ parte, tamquam tertia quadam mensa, aliquos vobis ingenij, egregijs disciplinis ac virtutibus exculti fructus apponam; & si ea est eorum conditio, vt fastidium parere copia nequeant, tamen quoniam longiorem apparatum temporis breuitas vetat, & conuiuis, si quid poscant, solet esse mora molesta, vnum ego vobis tantummodo degustandum dabo, qui cum sit omnium delicatissimus ac pretiosissimus, nullum profectò à me in condiendo laborem desiderabit: erit opinor maximo sibi ipse condimento. Grauis semper ac fere nunquam profligata quæstio illa fuit, quæ Philosophorum omnium ætates in bonorum fine statuendo vexauit, qua in re tam variæ fuerunt multiplicesque sententiæ, vt illi mihi in vera felicitate quærenda infelicissimi fuisse videantur. Nam cum vna tantùm in re, summa debeat inesse felicitas, vnusq; sit finis bonorum omnium; profectò non omnes, qui tam diuersas tenuerint vias, quosque tam contrariæ animi propensiones traxerint, beati vllo modo esse potuerunt, quò enim quisque longiùs ab

vno

vno illo fine aberrauit, cò miserior est ab omnibus iudicandus. Atque vt contaminatos Epicureorũ greges omittam, quorũ alij vnguẽtis delibuti, mandentibus cincinnorum fimbrijs, fluentibus cerussatisque buccis, in rosa viuere sibi beatissimũ ducebant: alij in gurgustijs & ganearum nidore pecudum more delitescentes, ita summum bonum in visceribus ac medullis condebant, vt si sobrij esse inciperent, beatos se esse non putarẽt. Mihi profectò ne veteres quidem illi Philosophi Heriston, Herillus, ac Pyrrhon, atq; adeò Clitomachus & Callipho, aut rectè, aut constanter de fine bonorũ videntur disputasse. Nam cum vacuitati doloris tantùm tribuant, vt eum miserrimum arbitrentur, quẽ aut in rotam ascendere, aut in equuleum imponi videant, quid est, obsecro, quod illos magnopere à belluarum felicitate seiungat, quas ita ad pastum natura ptonas abiecit, vt solũ illis malũ dolor esset, sola voluptas bonũ? Nõ pauci etiam è nescio qua Metrodori caupona emerserunt, qui beatã effici fortunæ bonis ac corporis hominum vitã putarẽt. O quàm hoc ridiculũ est! fortunæ fluctibus atque arbitrio, quo nihil esse in vita inconstantius ac mutabilius potest, summum bonum, quod ratum fixum, ac perpetuum esse debet, committere! quasi vero id sit habendum in bonis, quod possit ab inuito amitti, aut aliquid inueterascat, & extingua-

tur

tur eorum, in quibus & sita est, & stabilita felicitas. Atqui horum & similium philosophorum inconditis vocibus tot olim gymnasia personuerunt, vt maximè mirandum sit è maximo ac florentissimo doctorum hominum numero, vix vllum extitisse, qui vitæ beatæ quodammodo peregrinanti, atque in aliena possessione laboranti, certam aliquam sedem ac domicilium attribueret. Nam & si Zeno Citticus, atque Atheniensis Antisthenes, reliquique Stoicorum Principes, parum abesse à beata vita videntur, cum de ea tam præclarè sentiant, vt illam in pulcherrimo & gloriosissimo virtutum cœtu collocandam esse arbitrentur: errant tamen ipsi quoque in tam difficili atque arduo tramite, quòd virtutem, quæ nos ad felicitatem solummodo ducit, felicitatem ipsam esse contendant. Vt igitur intelligatis quàm pretiosus sit ac suauis perfectè exculti fructus ingenij, prodeant tandem aliquando, qui tam cœca ex hominum mentibus errorum nube depulsa, vitam beatam in clarissima omnium luce constituant (de ea autem vita beata loquor, quam, qualiscúnque illa sit, in hoc interituro corporis domicilio, aliqua ratione ducere sapiens possit) quam enim aliam è sacrarum litterarum testimonijs ac diuina Christi Optimi Maximi doctrina felicitatem esse existimatis, quam infinitæ illius substantiæ, ac diuinitatis contemplationem,

nem , cum virtutum omnium cœtu ac ſocietate coniunctam? Ad hanc autem cum nos labor exerceat, rapiat voluntas, aſsidua cura, ſtudiumque perducat , qui fructus vberior, quod præmium maius, quæ voluptas gratior, quod decus inſignius , quæ gloria excelſior, aut eſſe aut fingi poteſt, quàm ingenij ac mẽtis perfectæ, cum in hac ſola tamquam in ſuo regno vita conquieſcat beata , placidiſsima pax viuat, regnet libertas vera, gaudium inſatiabile inſideat penitus , atque inhæreat? altum videlicet & exaggeratum eſſe id oportet, in quo ſecura conſiſtat felicitas. Quid autem humano animo in vna illa diuinitatis perennitate defixo, aut ſolidius poteſt, aut celſius inueniri? Quod verò bonum exiſtimandum, niſi quod ex immenſo illo atque inexhauſto bonitatis ac liquidiſsimæ voluptatis fonte promanat? Hoc autem cum in ſapientis mẽtem, pectus ac viſcera gliſcens, ſenſim illabatur, ac ſe ſe totum effundat, an quidquam eſt, aut amœnitatis ad delectationem, aut condimenti ad dulcedinem, aut ad ſpeciem dignitatis, aut maieſtatis ad gloriam , quo non ille cumulatè compleatur, copioſè redundet, largiter effluat? Animus nimirum nullis cœcatus erroribus ac vitijs, ſed pulcherrimis virtutum doctrinarumque ardoribus illuminatus, abſtrahit ſe ſe quodammodo à corpore, & foras eminens, effertur ſemper altiùs, donec ita

cum

cum purissima illa Dei mente coniungatur, vt naturæ propemodum oblitus suę, non humanum iam se, sed esse quidpiam diuinum putet. Illic delicijs immortalibus perfunditur, & quò illas affluentius haurit, eo sitit ardētiùs. O abditum maximæ hominum multitudini thesaurum! ô egregij ac sancti pectoris ardore, secretò colliquescens voluptas! Sed hæc sunt eiusmodi, Aud. vt percipi à paucis fortasse possint, explicari à nemine possint. Hic verus laborum ac vigiliarum fructus, hæc animorum pabula, hæ solidæ laudes. In optima hominis parte situm esse id oportet, quod optimum est. Quid autem in homine animo melius, mente præstantius? cum vero quod beatū est, id etiam sit optimum, quis tam demens erit, ac vecors, qui extra mentem atque animum, vitam reperiri beatam arbitretur? Qui suorum ignari bonorum extrinsecus emendicatis gloriantur honoribus, in aliena possessione turpites viuūt, peregrinantur in sua. Quo maior à vobis Aud. in re tam præclara ac tam magnifica, opera studiumque ponendum est; vt cum ea sit ingenij vestri nobilitas ac præstantia, qua maior esse penè nulla posśit, ij fructus, ac præmia quæ in sola felicitate ponuntur, nullæ à vobis in eo colendo ac perficiendo curæ, nulli labores ac vigiliæ, nullæ denique solicitudines prætermittantur. Vestra ipsi bona curatis, in vestra possessione laborabora-

boratis, profecto in vos ipsos quæcunque extiterit vtilitas & gloria redundabit. Si quod vestrum est, id solum tuemini, nihil vestri poterit à vobis esse seiunctum. Quo vnaquæque res pretiosior est, eò esse carior debet, quo carior, eo etiam est in ea seruanda, maior adhibenda diligentia. Quod pro vestra singulari prudentia, consilio, ac virtute facietis, Audi ne quisquam vestrum vllo vnquam tempore, aut se ipsum spreuisse, aut sui dissimilis fuisse iudicetur.

ORATIO XIV.

In funere Antonij Caraffæ Illustrissimi Cardinalis. Romæ anno 1591.

QVod boni omnes magnopere verebantur (Cardinales amplissimi) ne Antonij Caraffæ viri præstantissimi vita, Christianæ Reipublicæ, cui semper incredibili adiumento fuerat, calamitosis hisce temporibus eriperetur, id nunc videmus maximo non solùm huius vrbis, verum etiam multarum gentium dolore ac luctu contigisse: Quod si eius fuisset ætas prouectior, ferendum id esset mitiùs, quod necessitas ratum esse voluit, & natura commune. Sed cum immatura mors iam adeptę maturitati virtutis inuiderit, virtutem amissam queri-

rimur, mortem importunam deploramus. Quo fit vt quantùm me præclara eius merita impellunt ad laudationem, tantùm publica tristitia ab officio auocet ac retardet. Animos facit viui recordatio, extincti me præsentia exanimat: ita vt non solùm mea in dicendo penè dicam infantia, verumetiam doloris acerbitas, omnem orationi aditum intercludat. Sed profecto recreari me non parum sentio, quod vir iste immortalitate dignissimus, ita est toto terrarum orbe conspicuus, vt neq; illius eloquentia ad eius præconium, neque ars ad commendationem desideretur. Nam quid ego potissimùm in tanta laudum segete deligam? an eius adolescentiæ florem, non tàm corporis, quàm modestiæ & castitatis specie virentem? an iuuentutis genitos fructus, non luxuriantis ad vitiorum copiam, sed se se vegeta virtute ad gloriæ messem effundẽtis? an potius ætatis perfectæ honestissimam voluptatem, bonorum suorum vbertate perfruentis: Enimuerò quocunque me verto, tãtam materiæ amplitudinem mihi subiectam video, vt seu tacere malim, seu loqui, iudicari facile non possit, an maiorem celeberrimo viro iniuriam faciam, indignitate silentij, an orationis temeritate. Etenim cùm ille septimo adhuc ac decimo ætatis anno, à Reginaldo parente, nobilissimo atque illustrissimo, ad Pauli quarti Pontificis maximi, cognatione

sibi coniuncti obsequium, in hanc vrbem, orbis terrę theatrum, mitteretur, non illum proposita honorum & fauoris aura Neapoli euocabat, non insolens lætitia efferebat, non spectabilis illa Pontificia maiestas rapiebat. Sed cum existimaret omnia sibi Romæ ad virtutem incitamento futura, parenti obtemperandum censuit, & Pontifici seruiendum. Quo tempore haud se cupiditatum lenocinijs, & voluptatum illecebris, quibus delicata iuuentus deliniri solet, mulceri passus est, ne fortè ambitionis æstu intumesceret, ad naufragium, & deliciarum mollitudine deflueret, in virginei candoris exitum. Itaque cum iter ad honores non cognatione, aut nobilitate, sed virtute ac meritis, sibi esse aperiendum duceret, ita se Gulielmo Sirleto, quem postea vidimus ob eximia doctrinæ ac pietatis merita, Cardinalem, Gręcis potissimum literis imbuendum tradidit; ita illius præstantissimæ ac suauissimæ linguæ liquorem hausit, vt homo latinus, pristinis Athenis natus esse videretur. Religione vero (quod caput est) & Christianis motibus ita se sanctissimorum virorum curæ nutriendum dedit, vt gustatis rebus omnibus, quæ honestè appeti possunt, vna illi pietas sapere videretur. Quamobrem & iuuenis castimoniam, & literarum amatoris doctrinam & propinqui obseruantiam demiratus Pontifex, iam de illo in vestrum, Cardinales amplissimi,

ſimi, ordinem cooptando cogitabat. Sed cum mors Pontifici optimo vitam abſtuliſſet, & honorem illum diſtuliſſet Antonio, id non ſine diuino conſilio factum eſſe viri boni profitebantur; ne iuuenis egregius, ad tantum dignitatis faſtigium, non tàm virtute, quàm propinquitate nixus aſcendiſſe videretur. Neque vero mirum eſt quod in obitu ſapientiſſimi Paſtoris moderatè ferendo, fuerit Antonij tàm firma conſtantia, cuius eo viuo, præſertim in maxima, imo certa honorum ſpe, proſpera ſpirante fortuna, tanta eſſet mentis æquabilitas. Non facilè animus aduerſo frangitur vento, qui non inflatur ſecundo. Ergo cum diſcendi amore arderet Antonius, & cœptum ſtudiorum curſum proſequi ſtatueret, non ita multo poſt Patauium ſe contulit, vt in illa celeberrima Academia ijs artibus & diſciplinis excoleretur, quæ & ſibi fructuoſæ eſſent, & nobiliſsimæ familiæ decora tuerentur. Verùm cum Juriſprudentiã potiſsimùm amplecti cœpiſſet, ſic animum informabat, vt cum ſe non tam iuris, quam iuſtitiæ cultorem cuperet, Iuris peritia paucis cederet, iuſtitia nulli. nec cum aliqua de re eſſet poſtea decernendum, perpenſis Iuſtitiæ lancibus, leue momentum æquitatis, gratiæ pondere ludderetur. Hanc tantam eius ſapientiæ magnitudinem ac ſplendorem, quis non intelligat, nullis nec anguſtijs claudi, nec tenebris inob-

ſcura-

scurari potuisse: Extulit se se, & ita lucem effudit suam, vt ille à Pio quinto sanctitatis admirandæ Pontifici, non solùm à cubiculis fieret, verumetiam summa omnium ordinum lætitia, Cardinalis crearetur. quod munus cum non tàm purpuræ radijs, quàm laboribus & curis, Christianæ Reipublicæ causa subeundis, insigne esse debere arbitraretur, fiebat, vt nullum esset tam graue negotium, ad quod vigilantissimus ille Pastor non adhiberet Antonij Caraffæ Cardinalis prudentiam, studium, diligentiam, integritatem, fidem. Jam verò vt ad maiora veniamus, quod tantum eloquentiæ flumen esse potest, quod, non dicam per cæteras eius laudes excurrere, sed quod aliquam illarum attingere queat, quas Gregorij XIII. supremi Ecclesiæ Catholicæ principis munificentissimi Pontificatu promeruit? Vos, vos, inquàm, appello quotquot hîc consideris, qui eo tempore interfuistis, qui vidistis, qui experti estis: nihil est in tenebris actum, aut in aliquo terrarum angulo, in luce fuerunt omnia, in oculis omnium gentium ac nationum, in hac magnificentissima pulcherrimáque vrbe. Vos eius eruditionis, & sanctimoniæ testes fuistis, vos præcones vigiliarum, laborum, assiduitatis, constantiæ, pietatis: Nonne in illum Gregorius sacrorum diuinæ scripturæ librorum curam sua auctoritate deriuauit? Nonne eun-

dem

dem codicibus Catholicorum Ecclesiæ Conciliorum purgandis præesse iussit? At quæ negotia, Deus immortalis! qui libri, qui codices! nimirum firmamenta fidei, columina veritatis. Quantum porrò studij atque operæ consumpserit, in Græcis septuaginta interpretum voluminibus pristinæ fidei, & nitori restituendis, norunt ac testantur ij, quos ad tàm arduum opus socios semper & adiutores habuit. Mitto latinos quosdam, non paruo ad Dei cultum vsui futuros auctores, à quibus maculam omnem absterfit. Nihil etiam dico de quibusdam Græcis, quos latinè tam fideliter ac purè reddidit, vt non nisi latinè scripsisse videantur. Quid igitur noui, si post luctuosum Gregorij XIII. obitum, à Sixto quinto Pontifice maximo, eodemque perspicacissimo ac diligentissimo, Bibliothecæ Vaticanæ, multò quam antea magnificentiùs extructæ, illi cura commissa est? Sanè quoties per illud admirabile ingeniorum theatrum oculos circunferebat Antonius, non nisi expressam suæ mentis imaginem intuebatur. cum eius animus non minùs bonarum artium & doctrinarum ornamentis, quàm Bibliotheca Vaticana præclaris voluminibus esset illustris. Imò verò quò laudabilius est rerum scientiam intellectu contineri, quàm libris claudi, eò etiam facilius fuit tam insignem Bibliothecam, à tam erudito viro superari. Quo demùm

mùm in numero Vrbanus ſeptimus, Paſtor humaniſſimus haberet Antonium, nullus veſtrum eſt, Cardinales illuſtriſsimi, qui non meminerit. Tempus recentiſſimum eſt. A vobis vno penè tempore Vrbanus ſupremum Eccleſiæ Catholicæ caput, ab Vrbano negotiorum adiutor eſt deſignatus Antonius. Sed ô plerumque fallaces hominũ cogitationes, & incerta conſilia! Cũ enim Vrbanus iiſdem diebus & ad ſedẽ Põtificiã, & ad funus eſſet elatus, ſpes nobis de tàm præſtanti Pontifice, Põtifici de tanti Cardinalis erga ſe officijs repẽtè præciſa eſt. Sed quid attinet de Gregorio decimoquarto Vrbani ſucceſſore, hoc loco mentionem facere, quem omnes fatentur, ſicut Gregorio XII. nomine, Vrbano Pontificatu proximus fuit, ita illis in Antonio Caraffa honorando & amando ſimillimum eſſe voluiſſe? Quapropter quod ornamentum laudis, quod monumentum gloriæ, quod inſigne honoris poterit vnquàm, huius præcellentiſſimi Cardinalis memoriæ pro dignitate conſecrari, cuius eſt per tot ſummos Pontifices, tot annnorum ſpatijs, periclitata prudentia, ſpectata virtus, exercitus labor, & vt non minùs verè, quàm ingenuè loquar, vita ipſa ſtudijs, muneribus, curis, vigiliiſque conſumpta? Atque ne de reliquis eius virtutibus omninò taceamus, etſi tot ac tantę ſunt, vt neque recenſeri præ multitudine, neque ſatis præ-

dicari præ magnitudine possint, tamē in tàm recenti eius vitæ memoria, sicut orationis breuitas aliquid fortaſsè laudis addet dicentis prudentiæ, ita nihil poterit de viri celeberrimi commendatione detrahere. Nam quæ tàm remota regio, quam non vehementi caritate peruaserit? quæ tàm deserta, quàm non varijs beneficijs impleuerit? Vnam inter alias Maronitarum (vt nunc vocant) gentem in medium proferam, penè ignotam illam quidem ac derelictam, sed religiosiſsimam, sed in suscepta quondam Catholica Fide, tot inter immaniſsimorum hostium arma constantem, eius consilio à Gregorio XIII. erga nationes omnes inexhaustæ liberalitatis parente, è media colluuione barbarorum euocatam, è Turcarum & Schismaticorum faucibus ereptam, è parentum complexu, huius vrbis gremio exceptam, nutritam, & corroboratam, quam denique post eiusdem Gregorij obitum, multis ac magnis beneficijs affecit, & suis opibus, licet non ampliſsimis, sustentauit, & in bonorum hæreditatem eam etiam venire voluit. Quo fit, vt quamdiù Gregorij XIIJ fama in hominum animis viuet (viuet autem perpetuò) tamdiù sit Antonij Caraffæ Cardinalis memoria duratura. Sed in quod præterea egentium hominum genus, in quas pauperum familias, non libenter quæ posset effu-

effudit, his præsertim temporum angustijs, quibus vias penè omnes inopum gregibus impediri cernimus, & xenodochia hospitum multitudine, nosocomia morborum varietate compleri? Quid quod dum vixit mendicum hominem ita semper aluit, vt illi æqualẽ omnino partem eorum, quæ sibi ad victum pararentur, iuberet apponi? An verò vllus vnquam fuit, qui vultum illum suauissimum, sedem pudoris, simulachrum modestiæ, effigiem humanitatis, aut indecoris aspersum notis, aut minùs compositum, aut iræ nubecula infuscatum, viderit? Quid vnquàm non suum, sibi vsurpare potuit, qui manus, non dicam solùm turpi aliqua largitione intactas, sed ab honestis etiam muneribus semper habuit maximè alienas? Quid commemorem eius in victu parcimoniam, in rebus aduersis fortitudinem, incensum in Deum amorem ac pietatem, &, quod singulare & admirandum est, pudicitiæ florem ac virginitatem, ab ipso vitæ ortu, vt testantur qui id norunt, intactam atque illibatam ad finem vsque seruatam? Virtutis raritas, primum est ad laudem pretium. O solatium & decus familiæ tuæ, ô deliciæ bonorum, ô gloria ciuitatis! Cetera persequi, nimis longum esset, Cardinales amplissimi, & vos ea estis prudẽtia, vt etsi plura pro rei dignitate dici debuisse intelligatis, tamẽ plura pro tẽporis breui-

tate afferri non potuisse fateamini. Cum igitur Antonij Carafæ vita fuerit tàm præclarè acta, vt illi nihil desit ad ingentem gloriam, nobis certè qui illius spectatores fuimus, nihil deesse potest ad imitationem: cumque hoc tempore, eo animi sensu & tranquillitate & vultus serenitate, eum quem nunquam contaminauit, clauserit diem, vt nõ sicut quondã hodierna die Doctor ille gentium, equo deiectus, ad breuem fugientis moram temporis, in tertium raptus est cœlum, sed corporeis exutus vinculis in supremum beatarum mentium domicilium ad æternitatis stabilitatem, vt speramus euolarit, habemus profectò quò animum cogitationemque figamus. Quem enim in hac domestica pugna, tàm fortiter prauos motus cupiditatesque frangentem vidimus, eundem suspicere debemus in cœlo triumphantem.

ORATIO XV.

De vero vltimo fine hominis habita Burdigalæ in schola Theologiæ ante explicationem primæ 2. sancti Thomæ. anno 1605.

QVod Deus Opt. Max. mihi vobisque benè vertat (Auditores nobilissimi) post triginta ferè annorum in Italia sedem, eo nunc primùm in hanc vestram vrbem, eo-

rum qui mihi præſunt, imperio, venire compellor. Illîc in præcipuis ſtudiorum, vt vulgò loquuntur, Vniuerſitatibus, S. Thomæ theologica ſumma publicè à me declarata, & rurſus conuerſo & retroacto ad primam partem gradū; iam ſequitur vt hîc, iteratum illum curſum, in ampliſſima primæ ſecundæ ſpatia conferamus. Et quidem primus ſeſe proſpectu intendit in metam; in vltimum ſcilicet hominis finem: indè tanquam è capite, totius futuræ diſputationis origo. Et verò, cùm noſter vltimus finis, ſit ſumma & perfecta beatitudo, profectò cum nihil homines magis appetant, quàm eſſe felices, imò omnis appetitionis ratio ſit ipſa felicitas; nihil eſt quod vobis hac diſputatione, præſertim hoc temporis gratiùs poſſit accidere. Ita enim aliquot ab hinc annis, pertinax peſtis huic vrbi incubat; ita inclusum ſerpit virus in ciuium venas, vt ei quem percuſſerit, nihil optabilius eſſe debeat, quàm vt in illud, de quo acturi ſumus, æternæ beatitudinis domicilium transferatur. Age igitur; hanc S. Thomæ partem adgrediamur, nobilitate inſignem, iucunditate ſingularem. Veræ felicitatis effector & obiecta materies, Deus eſt. Quid nobilius Deo? Felicitatis neceſſaria & indiuidua comes, eſt ſumma delectatio; quid ipſa delectatione iucūdius? Atqui doctrina omnis, è re quā per-

tractat, conditionem naturámque sortitur, hanc proindè doctrinam nobilissimam & iucundissimam esse oportet, cum cœlesti beatitudine, hominis vltimo fine, nihil sit, aut præstantius ad excellentiam, aut gratius ad voluptatem. Quod etsi per se ita perspicuum est, vt ad illud nihil luminis, vllius eloquentia possit accedere; mihi tamen aliquid præfandum est, ne videar aut præ tantæ rei splendóre stupuisse, aut ex nimia diffidentia tacere voluisse.

At enim (inquies) cum alicuius rei dignitas explicari pro dignitate non potest, præstat eius magnitudinem silentio prætendere, quàm vel aliquam eius partem rudi & incondita oratione proponere, præsertim cùm hac ratione, nec voluntas officio desit, nec prudentia periculo. Rectè id quidem, & sapienter dictum, sed certe, quantumuis dixero, spero fore, vt & prudentiæ præscripto satisfaciam, & officij debito. cum enim ingenium in me sit exiguum, & dicendi facultas pene nulla, hic ipse sermo meus silentium quoddam est. Quare si prudentia silentium exigit, & officij ratio verba deposcit, profectò vtrique parti satisfacio, nimirum officio meo, dicendo aliquid, & prudentiæ, nihil dicendo, Placetne igitur, tum ex parte facultatis animæ, in qua insidet nostrę felicitatis forma, tum ex parte rei, quæ infinitam quodam-

mo-

modo animi nostri & appetitus capacitatem explet, vltimi finis præstantiam attendere, prægustare voluptatem? Nimirùm, quantùm è vestro vultu, atque oculis conijcere possum (Aud.) id vobis non ingratum fore confido. Ergò vt à primo fonte nostra ducatur oratio, quæ suprema est ac perfectissima hominis pars, eam esse asserimus beatitudinis potissimam sedem. Cum enim bonum beare neminem queat, nisi illud & possideatur, & percipiatur, possideri verò & percipi, nisi media actione non possit, consequens est vt nemini, nisi per operationem aliquam, contingat esse felicem. Suas habent etiam animantia bruta delicias. ad pastum prona sunt, & ad venerem abiecta. sed fac illa sensu carere: omnem illis eripis continuò voluptatem. Quis igitur non videt, vltimum finem, necessariò duplici veluti parte constari, bono videlicet, & actione qua illud bonum fit nostrum qua apprehenditur, qua tenetur? Bonum ipsum, aliqui finem qui, actionem verò, finem quo, iure optimo nominauerunt. Ex vtroque, vnus integer finis existit, cuius gratia ea quæ ad eius adeptionem diriguntur ac tendunt, mouentur à nobis & exhibentur. Atqui verus vltimus finis, vtpote summum bonum, summè naturam perficere debet, ergo manifestum est, illum in perfectissima omnium operatione, veluti felicitatis forma, positũ esse o-

portere. Rursus, perfectissima omnium actio in facultate nobilissima collocatur, igitur fatendum est beatitudinem humanam in hominis potissima parte consistere. Quis autem est adeò mentis impos, qui homini, qua homo est, aliam affingere audeat beatam actionem, quàm eam quæ hominis maximè propria sit, & qua potissimùm à cæteris animantibus distet? ea duplex est in homine, intellectio, & amor. Jn his posita est veræ & perfectæ felicitatis natura & complementum. Attamen intellectio summi boni, est præcipua forma beatitatis: cum enim rei concupitæ possessio, sit præcipua felicitatis ratio, certè natura mente prædita, non alia operatione, quam cognitione perfecta, potest bonum sibi proprium possidere. Sed quis naturam rationis participem, perfectè beatam prædicet, nisi bonum intimè sibi præsens & coniunctum amet, nisi amato & possesso perfruatur? Certum est igitur intellectui, dum perspicuam in summo bono aciem intendit, ad beatissimi status cōsortium voluntatem comitem adiunctam esse oportere. Sed quoniam superior illa vis hominis intellectiua, omnium nobilissima est, & prçcipuum, vt dixi, verç felicitatis domiciliū: propterea felicitatē hominis excellentissimā & honestissimam esse profitemur. Atqui quod honestissimum est, idem est & iucundissimum,

sequi-

ſequitur ergò, id quod paulò antè propoſui, verum vltimum finem hominis, ex parte illius facultatis in qua intimè ac præcipuè inhæret eius adeptio & poſſeſſio, cæteris omnibus finibus, quotquot non dico eſſe, quia plures veri vltimi fines eſſe non poſſunt, ſed cogitatione fingere lubeat, infinito, penè dicàm, modo dignitate & delectatione præſtare. Qui cũ ita ſint, quid magis peruerſum eſſe poteſt, quã animi dotes in ſenſu condere, & ea quæ ſenſibus ſubiecta ſunt bona, in animum violenter intrudere? In ea fui ſemper opinione, Auditores, vt nullum putem à Deo ſupplicium poſſe homini maius infligi, quàm ſi laxatis effrænatæ illius cupiditati habenis, illum in obliquos & rationi contrarios fines, ruere præcipitem ſinat. Venit mihi nunc in mentem dicere quidpiam, vobis quidem minimè abſurdũ, mihi verò viſum ſemper magna admiratione dignisſimum: quid cauſæ eſſet, cur rerum omnium conditor Deus, in ipſis mundi incunabulis, in communem generis humani hoſtem iuſtiſſima indignatione cõmotus, quòd primos parentes noſtros ſerpentis ſpecie corrupiſſet, hãc illi pro tanto crimine pœnam irrogaret, Maledictus, inquit, eris inter omnia animantia terræ. Audio: nihil hoc habet magni momenti. Super pectus tuum gradieris, & terram comedes omnibus diebus vitæ tuæ.

Hoc verò est illud quod permirum est, ac perdifficile. Quid enim? An prius serpens erecto, & in altum virgato corpore gradiebatur, ita vt illi, serpere, supplicium sit? An priùs bellarijs & placentulis nutriebatur, vt illi sit terra victitare, tormentum? commenta ridicula. Enimuerò serpenti tàm est à natura, serpere, quàm homini rectum incedere: tàm suus illi proprius est & congruus cibus, quàm homini suus. In Cacodæmonem igitur, qui alieno habitu, serpentis videlicet mentita figura, verum ac pestilentissimum virus infudisset, allegoricis etiam verbis, propriam Deus & debitam sententiam pronunciauit: super pectus tuum gradieris; hoc est hominis lethalibus noxis inquinati ac perditi: & efficies, tua ipse nequitia, vt ille super pectus suum gradiatur? humi scilicet repat, & volutetur in cœno. Terram comedes; tuo nimirum illo pasceris terreo miserrimi hominis animo; & illi auctor eris & impulsor, vt cœlestium deliciarum insano fastidio, ad porcorum haras stercora euoluat, fame rabidus, & se se tali pabulo lutulentus ingurgitet. Quantam igitur hominis, brutorum more viuentis, insaniam, atque intimos cruciatus esse dicemus, cum ipsemet sit scelerum omnium teterrimo principi pœnarum locus: ita vt grauissimum à Deo sumatur de hoste in hoste supplicium; Deuio animo, nullus agitatior

Eurippus : fœdo , nullus carcer durior, nulla carnificina crudelior : ipse sibi pertinax malum est , iuge , & semper præsens; se à se diuidere , aut diuellere non potest : fert sese, quocumque se transfert. hoc solum est & proprium malum , nequitia : Cohorrescis ad obiectum menti tuæ inferorum incendium ? ignis ille aliquid est , bonus est . Vidit Deus cuncta quæ fecerat, & erant valde bona. Trepidas ac fugis ad aspectum draconis, aut colubri? hæc aliquid sunt? bona sunt: quin etiam inuitantur, & vocantur conditoris in laudem . Laudate, inquit vatum princeps, dominum , de terra dracones; bestiæ & vniuersa pecora ? serpentes & volucres pennatæ . Cœnum, lutum, sordes, pestem, ægritudines omnes, ac mortem auersaris? enimuerò, licet primi parentis capitalis lapsus, has secum traxerit ruinas, neque Deus mortem fecisse dicatur , attamen spectata natura rerum, & culpæ ratione seclusa secundum quam mala pœnæ nominantur, profectò cum ea, quæ modo commemoraui, & alia huiusmodi, aliquid sint, & Deus ad illa (quà aliquid sũt) vt prima & vniuersalis causa concurrat, fieri non potest, quin bona sint. Solum igitur malum, illud propriè est, ꝙ non malum, sed bonum esse oportuit, & non fuit, sed cõtrà, oppositum bono fuit, debiti priuatione boni. Ex quo manifestè consequitur, so-

lum peccatum in moribus,& natura, ratione prædita, esse malum. Et quoniam id quod est, quidquid illud est, bonũ est: ideò id quod malum est, quà malum est, nihil est: & tamen si lethale est, summum & infinitum malum est! O luctuosissimam hominis conditionem à vero fine aberrantis! quas tu mihi flammas, quam ferarum rabiem, quæ morborum genera obiectas? qui nequam est, ipse sibi nequã est, habet sibi suum pro carnifice & tortore peccatum: ipse suos circumfert equuleos, ac rotas, & tygres armat, & raptat incendia. Et exaggerantur tamen à Deo extrinseci ad interiora tormenta cruciatus, vltrices tartareæ flammæ. Sed æquari pœnæ magnitudine vis peccati, à Deo nunquam potest. O rem omni humano captu & cogitatione superiorem? quid enim grauius esse potest mortifero animi vulnere ac scelere, cum diuina, & quidem infinita potentia, infligere quodammodo illi nequeat æquale supplicium? Nihil dico, (viri præstantissimi) quod non certa vestrum omnium sententia facilè comprobetur Cum enim Deum vndequaque infinitum esse constet, profecto criminis, vt pote in Deum admissi, malitiam aliqua ratione infinitam esse necesse est. at pœnam natura sua infinitam, reipsa Deus procreare non potest; igitur nec esse, nec fingi potest, par iniuriæ vltio, seu pœna delicto. Quo factum

est,

est, vt præpotens & æquissimus iudex, apud inferos æqualem compensationem à reis exigat, non supplicij grauitate, sed æternitate vindictæ. Et illa tamen malitia quatenùs malitia est, priuatio quædam est, nihilum quoddam est. Proh Deum immortalem! in nihilum (vt ita dicam) occupatur æternitas, immortalis flamma; dum non inuenit aliquid quod cruciet, semper quærit & rimatur quod inueniat: & cum inuenire nequeat quidpiam quod sit aliquid, irritam disquisitionem solicitant, vrgent, & comitantur incendia sempiterna. Irrita disquisitio? sed tormentum non irritum. Est in quem debita pœna desęuiat? infelix nimirum effector nihil? qui dùm se, cum suo nihilo, in nihilum redigere tentat, & nequit, momentum temporis, quo in hac vita suum illud nihilum (summum malum) patrauit, per diros gemitus, & cassum laborem, nũquàm reuocanda perpetuitate mensurãt. Maneat igitur ratum, fixum, ac stabile, quemadmodùm vero vltimo fine hominis, ea ex parte qua possidetur atque percipitur, nihil est nobilius, nihil iucumdius: sic contrà ijs actibus quibus quispiam peruersos tendit in fines, nihil turpius, nihil acerbiùs posse contingere. Jàm verò vt ad alterã disputationis meæ partẽ accedam, quã de bono, quo solo beari possumus, futuram esse supra significaui, quò notior est omnibus tantæ rei magnitudo, eò

minorem à me dicendi laborem postulat: Sa-
tis est si dicamus, bonum hoc, esse Deum.
Rem sequitur vox: Deus in se omnia vnus
perfectissimè continet? nomen quoque illius
infinita oratio est. Quis enim est adeò mentis
impos, qui naturam rationis munere ac bene-
ficio donatam, alio bono, præterquam infi-
nito, intellectionis perspicuæ actu (amore co-
mite, & pedissequa delectatione) possessio,
expleri posse arbitretur? Intellectiua facul-
tas, vtpotè ab omni materiæ concretione
prorsus auulsa, habet pro suo obiecto (vt
cum S. Thoma, & cæteris theologis loqui co-
gor) verum; & voluntas, bonum vniuersale.
Igitur intellectiuę, & huius appetitiuæ partis
capacitatem infinitam esse, necessariò fatem-
dum est. Cum enim nihil sit, aut esse possit,
quod non idem possit & intelligi & amari;
consequens est, vt vtriusque illius facultatis
gremium, nunquàm nisi infinito vero & infi-
nito bono compleatur. Atqui solus Deus om-
ni ratione ac genere & infinitus est & immen-
sus: igitur & ipse solus potest intellectum &
voluntatem satiare, & in perpetuo cumula-
tissimæ beatitatis statu collocare. Quod bo-
num est, illud idem verum est: sed sub ratio-
ne veri ab intellectu apprehenditur, ac veluti
manu tenetur ac possidetur, sub ratione vero
boni & amabilis, appetitum terminat & con-
cludit, & incredibili gaudio perfusum, & vnde-
qua-

quaque delibutum, perenni & nunquam turbanda quiete consopit. Quàm bene, quàm commode, quàm perfectè, cordis humani sinum, finitum quidem, sed infiniti capacem, summi boni adæquat infinitas! Memini me legere, Appionem insignem grammaticum, dum primum Iliadis versum explicaret. Μῆνιν ἄειδε θεὰ &c. dixisse, librorũ omnium Iliadis & Odyssææ numerum & summam duabus primis ille litteris, M & N, ab Homero esse collectam. Sunt istæ bellæ nugæ, & ludicra commentaria. Dicamus serio, tàm eximijs hominem donis à Deo esse ornatum, vt quem animo & corpore coagmentauit, ille idem in cœlesti gloria, corporis decore, rerum omnium quæ sub sensum cadunt pulchritudinem non solùm referat, verumetiam superet, mentis vero conceptu ac verbo, ita Deum ad viuum exprimat, vt nihil similius fieri posſit. similes ei erimus, quia videbimus eum sicuti est, inquit perspicax aquila, Euangelistarum princeps. Quo fit vt cum homo, vtpotè præcellentiſsimum diuinæ potentiæ opus, non solùm huius rerum vniuersitatis, verumetiam diuinitatis speciem contineat, & microcosmos, & si fas est dicere; microtheos esse videatur: Et quisquam igitur erit, ita sui oblitus, qui, quod ad appetitus laxitatem & amplitudinem attinet, cum se vno Deo minorem esse intelligat, nihilominus

nus velit; infelix, diuinæ, ac liquidissimæ voluptatis. Oceano præcludere fauces, & desiderium seipso grandius, minimi cuiuspiam procreati boni vinculis strangulare? Præclarum illud est, & ad hanc rem adpositum, quod præstantissimus inter Patres beatus Augustinus, tractatu decimoquarto in Euangelium Joannis, scriptum reliquit, primi hominum parentis nomine, ADAM, quatuor mundi partes comprehendi, totidem enim sunt literæ, quæ partes illas ingeniosè repræsentant, α ἀνατολὴν, Orientem: δ, δύσιν, Occidentem: α. ἄρκτον, Septentrionem: μ. μεσημβρίαν, Meridiem. sed hoc à Sibylla didicerat Augustinus, cuius multis antè Augustinum seculis extrabant hi versus:

> Αὐτὸς δὴ θεὸς ὁ πλάσας τετραγράμματον Ἀδὰμ,
> τὸν πρῶτον πλασθέντα, καὶ οὔνομα πληρώσαντα
> ἀντολίην τε δύσιν τε μεσημβρίαν τε καὶ ἄρκτον.

Itaque humani generis caput, hoc sibi nomen à Deo conditore impositũ præfert, quod & Dei tetragrammaton nomen quodammodo effingat, & mundum in se breui compendio claudat. Cum igitur, quacunque spectetur ex parte, tanta sit in vltimo fine nobilitas, & tanta iucunditas; efficite, per Deum immortalem, Auditores, vt quantum industriæ ac diligentiæ in hac, quam, Deo iuuante, explicare conabor, sancti Thomæ Prima secundæ, intelligenda, polliceri videmini, tantum

etiam laboris atque operæ, in ſolidæ gloriæ, & æternæ felicitatis ac finis noſtri conſecutione conferatis. Poſtremò de meipſo quid dicam? expectatis, niſi fallor, aliquid. Rem verbo concludam. Aio Galliam à me ſuo iure poſtulare, vt non minus ſtudij & amoris in Gallia, Gallus, erga Gallos, quam hucuſque in Jtalia non Jtalus, erga Jtalos præ me ferã. At contra, quid à vobis optem, probè noſtis. Vos igitur deſiderio meo parete, dum pareo patriæ.

ORATIO XVI.

Habita Burdigalæ anno 1607. in ſchola Theologiæ; ante explicationem Quæſtionum de Iuſtitia & Iure, ex 2. 2. ſancti Thomæ.

ADgredior (Senatores clariſſimi, cæteriq; Auditores ornatiſſimi) tractationem de Iuſtitia & Jure, dignitate inſignem, amplitudine penè infinitam, cognitione, ſine vlla dubitatione perneceſſariam. Quæ tria commẽdationis capita, etſi per ſe ita eminent, vt ſint omnibus longè latéque conſpicua, in ijs tamen ſpectandis, aliquantiſper nobis eſt immorandum, ne illa, aut ex ingenij hebetudine non vidiſſe, aut ex ſimulato contemptu præterijſſe videamur. Jn altero ineſt mentis infir-

mitas, in altero latet improbitas. alterum à Theologis, alterum à viris pijs debet esse maximè alienum. Et quamquàm non dubito, quin tanta de re disserere pro dignitate difficile sit, mihi tamen non leui patrocinio est, ac solatio, quod grauissimus hic suggestus, non dicendi est, sed docendi locus. Theologi quippe officio fungor: alijs vero iamdiu cessi ea quæ nunquàm professus sum munera Oratoris. Quod si hodierna die, qua vel consuetudo, vel maiorum præscripta inaugurari litterarum studia voluerunt, nec dicimus, nec docemus, certè loquamur: ne nos qui hoc anno, in secunda secundæ sancti Thomæ, Iuris ac Iustitiæ ditionem lustramus, in ipso aditu ac limine, iniusto de iustitia silentio, iniuriam iuri fecisse iudicemur. Ergo, vt à primo capite ducamus initium, cùm scientiæ dignitas, ex materiæ quam pertractat nobilitate nascatur, profectò quoniam iustitia virtutibus omnibus, quæ propriè morales nominantur, antecellit, necesse est vt scientia quæ illius naturam & partes contemplatur, doctrinis omnibus, quæ de moribus sunt, communi suffragio præferatur. Quod autem ea sit, quam modò dicebam, iustitiæ præstantia, id tùm ex facultate animę in qua sedem habet, quam Theologi subiectum; tùm ex re circa quam versatur, quam ijdem obiectum appellāt, intelligi facillimè potest.

De-

De ipsa igitur facultate animæ priùs disseramus. Virtutum moralium (Auditores) quædam sunt, quæ quia in moderandis ijs affectionibus, quas Græci πάθη vocant, occupatæ sunt, in sensu sibi domicilium vindicarunt: At verò iustitia in sola voluntate collocatur. Quis igitur non videt, quantò appetitus rationis particeps animalem nobilitate superat, tanto iustitiam reliquis virtutibus anteire? Et ex hoc fonte manat, quod cùm neque temperantia, neque aliæ huiusmodi virtutes morales in Deum cadere possint; iustitia tamen inter illa, quæ à Theologis, suo peculiari & vsitato vocabulo, Dei attribua nominantur, singulari quadam excellentia numeretur. Quod si Christum rerum omnium principem, & salutis nostræ parentem, & operum diuinorum miraculum intueri paulò attentius velimus; quemadmodum regiæ vestis auro gemmisque ardentis laxitas, ne vndequaque exundet, zona colligitur; sic tanta est iustitiæ Christo circumfusa vis, vt amplissima cæterarum eius virtutum ornamenta componat. Neque vero mihi tantum sumo, vt id mea audeam sententia & auctoritate proferre. Testis est perspicacissimus ille vates, cum Christum Dominum veluti præsentem admirans? Erit (inquit) iustitia cingulum lumborum eius, & fides cinctorium renũ eius. Nec dissimile illud

Psalmo-

Psalmographi regij, Dominus, inquit, regna-
uit, decorem induit, induit dominus fortitu-
dinem, & præcinxit se virtute. Quid quod ea-
dem, iustitia, & præsidium est & volupta[s]
indutus est, ait alter, iustitia vt lorica, & rur-
sus, Anteibit faciem tuam iustitia tua. ita
vt nihil desit æquis eius oculis ad delicias
aut iusto pectori ad robur. Et quisquam igi-
tur dubitauit, quin summa sit iustitiæ præ-
stantia, cum vel Deus ipse metiri velit æqui-
tate lætitiam, iudicio firmitatem? Enimuerò
illa te nimis sublimia fugiunt, illa æterna, illa
diuina non capis. ea solùm animum tuum
percutiant, quæ sub oculos cadunt. Te prin-
cipum mouet auctoritas, te regum perstringit
purpura, te imperatorum potentia rapit: sed
non vides, non sentis, non animaduertis, in ip-
sis potissimum dominis, quos suspicis, quos
vereris, quos colis, iustitiam tanquam in sua
regia dominantem? hæc principum vis, hic
regum splendor, hæc maiestas imperatorum.
Enimuerò si fortè (vt fert humana conditio)
contingat vt rerum publicarum administra-
tores, quidpiam minùs temperate in vita
gerant, minùs temperatos se vtcumque fa-
teri non verentur: ac iniustos se dici, aut
haberi minimè patiuntur. Et id quidem iu-
re optimo. nam si fortè iudex sibi parùm
prodest, viderit ipse: modò ne alijs iniu-
riam faciat, dum sibi nocet. Sic enim re-

tinebit nomen hominis non boni, ſed iudicis æqui. Quemadmodùm enim artificem de induſtria peccantem, rudi atque imperito præferendum meritò cenſet Ariſtoteles, quod improbum hominem illum eſſe dicimus, ſed bonum artificem, hunc probum virum, ſed artis expertem; ità qui cæteris præſunt, ſi fortè ſibi minùs prouident, dummodo tamen iuſtitiam erga omnes, æquitatemque tueantur. iuſtitia fortunatas reddunt prouincias, æquitate ſecuras. Neque hoc ideo dico, quod iuſtitiam, ſi debito fine & medijs careat, virtutem eſſe putem. Bonum enim non niſi ex integra cauſa exiſtit, inquit Philoſophorum princeps, ſed vt eius ſingularis dignitas, ſi ea ex parte in qua inſidet conſideretur, illuſtrior omnium oculis eniteſcat. Age vero, hanc eandem iuſtitiæ dignitatem, altera ex parte demonſtremus, quæ in materia poſita eſt, in qua illa ſuum exercet officium. A iure iuſtitia ſuam & naturam trahit, & nomen. Jus porrò & iuſtum idem ſunt. Quamobrem in iure ſeu iuſto efficiundo, tota conſumitur iuſtitiæ vis, & ratio æquitatis. quod enim iuſtitię munus aliud eſſe poteſt, quàm reddere vnicuique quod ſuum eſt? igitur eius ſolius eſt æqualitatem inter plures conſtituere, hoc enim eſt ius ſeu iuſtum efficere. Hinc eſt quod etiam ſolius iuſtitiæ eſt, eſſe propriè ad alterum, reliquæ verò virtutes ad ſe eſſe dicuntur.

ta-

tã etſi enim aliquæ virtutes ad aliquid, aliquo
modo referuntur, qualis eſt pietas, obediẽtia
religio, & aliæ huiuſmodi, quæ propterea iu-
ſtitiæ adnecti cenſentur, & aliquam illius ſi-
militudinem præſeferre: tamen id ex peculi-
ari ratione, motione, ac propoſito fine, &
quod caput eſt, ex propria huius vocis (Adal-
terum) notione non habent. Quæ res, quoni-
am non iniucunda videtur auditu, ſic explica-
ri meo quidem iudicio commodè poteſt. Aio
igitur vocem hanc (Alter, ſeu alterum) bifari-
am accipi poſſe, primò, vt ſignificet quidquid
natura, vel perſona, ab altero reipſa ſeiũctum
eſt, aut diſtinctum: & hac ratione, alter eſt &
filius à patre, & ſeruus à Domino, & res pro-
creata, à ſuo effectore Deo. Secundò, vt ſigni-
ficet eum qui non eſt alterius. Verè enim ſunt
alter & alter, qui ex æquo ſui ſunt iuris, ratio-
ne ciuili: & hoc modo nec Dei opus, eſt alte-
rum à Deo, nec ſeruus à Domino, nec filius
quà filius, in humanis, eſt alter à patre. quic-
quid enim eſt, Dei eſt, & Dei poſſeſſio, & man-
cipium domini eſt, & filius patris. Quis autem
adeo eſt aut ſtultus, aut impudens, qui Deo &
parentibus æquale reddi poſſe arbitretur: Nõ
igitur ius & iuſtum propriè dictum, inter eos
quos memoraui, conſtitui poteſt; quando-
quidem alterius ad alterum comparatio nul-
la eſt. Ex hoc principio deducimus, virtutes
cæteras, iure optimo dici ad ſe, non autem ad
alte-

alterum;ad alterum vero esse,solius esse iustitiæ speciatim & propriè sumptæ,præterea illas in eo solùm perficiendo in quo insunt, sua exercere munia ; hanc vero ita hominis partes actionesque componere,vt non suis ipse sibi numeris solummodo constet , verum etiam cum alijs iustè & aptè cohæreat. imò vero eo per se tendit hæc virtus,& inter duos, aut plures ius æquitatemque stabiliat. Quæ cum ita sint, (vt nunc eo, vndè pauli sper deflexit , mea recurrat oratio) quemadmodum multo vir ille præstantior est , qui non solùm in se , & erga se sit excultus ac perfectus,verumetiam qui erga alios,summa æquitate, omnes omnium officiorum partes compleat: sic necesse est iustitiam cæteris virtutibus nobilitate præcellere,& cum hæc virtus, sua peculiari conditione,id habeat,vt res publicas, hominumque societatem efficiat, & pacatam tueatur; profectò quanto omnium hominum cœtus vni præfertur homini, tantò præ ceteris virtutibus debet ampliùs æstimari. Sed quid ego de hominum cœtu dico?conuertite, obsecro, animum in hanc rerum vniuersitatem. Quid enim pulchrius,quid admirabilius esse potest , quàm res tàm multas, tàm diuersas,támque distinctas, tanto societatis vinculo inter se esse copulatas, vt vnũ cũ multis idẽ cũ diuersis,coniunctum cũ discretis,cõmunione contendat. & tàm variæ dissiden-

dentesque naturæ, in vnam quodammodo naturam iurato fœdere conspirarint. Litem & amicitiam rerum principia esse putauit Empedocles. sapienter sanè, si, vt debet, intelligatur. Nonne agnoscitis, Auditores, litem in tàm varijs & contrarijs rebus, in concordia vero tàm perfectus est naturæ ordo, vt summa sit in varietate coniunctio. Quantam igitur rerum omnium pacem esse oportet, cum vel ipsa lis videatur esse concordia? hîc iustitiæ vis, hîc norma præsidet æquitatis. Cum enim mundi opifex Deus, omnia in pondere, numero, & mensura fecerit, iudicio pondus, iustitia numerum, mensuram protulit æquitate. Jam verò vt ad secundum huius quasi ludicræ prolusionis meæ caput, quod ad huius scientiæ, quæ de iustitia est, amplitudinem pertinet, gradum faciam, quis adeò est vel ignarus, vt credat, vel arrogans, vt confidat, tam multiplices, imo propè infinitas huius doctrinæ partes, à se posse aliqua oratione describi? Quærite à Philosophis ac Theologis: interrogate iurisperitos, consulite sapientes quoscumque viros, quid hac de re sentiant, certè tanta est de iustitia & iure librorum multitudo, tanta voluminum copia, vt ipse terrarum orbis, iuris ac iustitiæ bibliotheca esse videatur. Penetra regum aulas, adi palatia principum, frequenta senatus, lustra vrbes, circumuola vicos, peragra regiones, insere te nobili-

um

um cœtu, familias inuiſe: quid tibi vſquequaque obuium erit, quid incurret, quid ingruet oculis tuis? leges & arma, toga & gladius, vt quod leges præcipiunt, arma tueantur; quod toga faciundum cenſet, gladius, cum opus eſt exequatur. In officio continentur omnia tonante lege, & fulminante gladio Sed quid attinet de gentium ac nationum hac in re conſenſu plura dicere? nonne iuſtitiam videtis per totam rerum naturam eſſe diffuſam? Immortalia illa cœleſtia corpora, ſupremam ſuo iure obtinent ſedem: illis leuia ſubuolant elementa, grauia ſeſe deorſum recipiunt. Illinc aſpicias montium aſcenſum, hinc deſcenſum vallium, vndequaque vero maris immenſitatem, quę terris eluuionem minitari videbatur ſuis coercitam terminis, abiectæ ac vili arenæ ludibrio eſſe Proh Deum immortalem! (percipite mentibus veſtris, Auditores, & vobiſcum ipſi reputate, quanta ſit iuſtitiæ vis, quanta laus æquitatis) Ipſum mare quod adeo infidum, inconſtans, varium, minax, turgidum, inſolens, & iniquum eſt, tamen ab æquitate, æquoris nomine gloriatur. Quis vnquam crediđiſſet, ſuam ineſſe fluctibus ambitionem, vt in ſumma agitatione, & turbulentiſſima tempeſtate, videri velint, æquitatem mugire, deſpumare iuſtitiam? Tandem pacãtur omnia: fluctus fluctum impellit & reuocat: irritantur ad concordiam, mouentur ad

quietem. flumina ponto tributa conuehunt, cursu solicito, increpante iustitia. Sed soluamus è littore, & flumina deseramus: & magis amœna est, & tutior tellus. O quã grata cœli terræque commercia; dum hortorum gemmulæ, & camporum sidera lumen mutuantur à cœlo, vt colorum lenocinio dominorum oculis debitum soluant? contra vero, in illis supremis corporibus, veluti cœruleis campis flammei quasi flores, & immortales topasij radios vomunt vndique, & cœlestes orbes cõuersione perpetua suas explicant & ostentant opes, imperante iustitia certantibus quieti, victoribus præmio futuras. Rursus, in terris quid gratius quam densissimæ segetũ syluæ? quandoquidem ita properant reddere agricolis debitum, vt, cum vix adoleuerunt, repente canescant. At vero vites veris initio turgescunt oculis ad lacrymas, non quod scputari ac mutilari doleant, sed segetum inuidia percussæ, moram tarditatemque deplorãt suam, quod vnà cum segetibus maturescere, & creditoribus dominis æstate fructus reddere non possint. Vt tamen vuis rubescit Autumnus, & spumante musto, calet vindemia, friget inuidia. tanto enim expectationem fœnore, tarditatem, vini copia obruunt, vt non minore animum lætitia, quam corpus dulcedine liquoris ebrium reddant. Ingrauescentibus ramis curuatæ arbores, fructus humum, ante-

quam

quam carpantur, plerumque decutiũt, vt prouentus exactionem, fracta mora, sua sponte præuertant. Leuiora cuipiam videri poterunt ista quæ de natura dissero. Ad ea igitur quæ supra naturam sunt, se se, si mauultis, attollat oratio. Dubitari non potest, Auditores, quin cum Deus sit summe simplex, æquales sint in eo perfectiones quas continet infinitas: attamen plena sunt sacrarum monumenta literarum, eminere in diuinis operibus misericordiam: iustitiam vero non ita videri partes agere suas, in augustissimo militantis & triumphantis Ecclesiæ amphitheatro. Vera, inquam, sunt ista, non inficior, & ita peruulgata vt stolidus sit, qui nesciat. impius, qui neget, vehementer ingratus, qui non agnoscat: certissimum tamen est, iustitiam ita comitem esse misericordiæ, vt ab illa, nulla possit ratione diuelli. Beatorum gloria, quorum hoc tempore dies festos anniuersaria pompa celebramus, misericordiæ donum est, quis negare audeat? est támen etiam corona iustitiæ. Qui apud inferos cruciantur, iustitiæ vim sentiunt, quis ignorat? cum tamen minora sint tormẽta sceleribus, in medijs incendiis, misericordiam experiuntur, quam agnoscere nolunt. Quare nec sine iustitia, misericordia regnat in cœlo, nec sine misericordia, iustitia apud inferos dominatur. Magna sunt ista, fateor. Sed quæ mox dicturus sum, eiusmodi sunt, vt

nihil grauius afferri queat ad iustitiæ commẽdationem, nihil certius ad veritatem. Aio, & clara voce pronuncio, vt me totus terrarum orbis, si fieri possit, exaudiat, Deum optimum maximum tam seuerum æquitatis vindicem esse, vt nullum à naturalibus donis distinctum beneficium homini conferre decreuerit, nisi prius sibi persoluto alicunde, ad iustam æquitatis trutinam pretio, nec vlli delicta ignoscere, nisi prius alicunde sibi ad æqualitatem pro iniuria satisfiat. Quid trepidas? quid pallescis? tibine aliquid noui, aut etiam absurdi effudisse videor? Ecquis est qui nesciat nullum beneficium, ad salutis æternæ consecutionem pertinens, hominibus à Deo dari, nisi per Christum? cum igitur Christus, vitæ nostræ parens Deo pro nobis pretium ad perfectissimæ iustitiæ pondus persoluerit, nostræ recuperandæ libertati, atque ita illi cumulate satisfecerit, vt nullum ad eius meritorum grauitatem momentum possit accedere, profecto fateri cogimur, inter Deum & Christum, summi iuris & summæ iustitiæ vires exerceri. Atqui salus & vita nostra per Christum est, igitur vno eodemque tempore, dum erga homines misericordiæ thesauros aperit & effundit Deus, erga Christum rigidæ iustitiæ rationes & momenta perpendit, seruat, & exigit. Cantet igitur regius vates, alterno exultans choro, hinc misericordia domini plena est terra: & inde,

iuſtitia plena eſt dextera tua: hinc, Deus iudicium tuum regida, & iuſtitiam tuam filio regis: inde, homines & iumenta ſaluabis domine, quemadmodum multiplicaſti miſericordiam tuam Deus. conſociatis vero ſymphoniæ vocibus, miſericordia & veritas obuiauerunt ſibi, iuſtitia & pax oſculatæ ſunt: &, vniuerſæ viæ domini, miſericordia & veritas. Sic videlicet, miſericordia & iuſtitia in curru triumphali, pari ſede conſpicuæ, & glorioſa pompa diuinæ prodeunt & oſtentant miracula maieſtatis. Quantam igitur huius theologicæ partis, quæ de Iure & Iuſtitia eſt amplitudinem eſſe oportet, cum ius & iuſtitia, in rebus omnibus, tum ratione carentibus, tum humanis, tum diuinis, tanta cum dignitate obtineat principatum? Sed ne dum de iuſtitia diſputo, iuſti menſuram temporis excedam, illud ſolum vobis debere videor, quod ad tertiam orationis meæ partem deſideratur, quãta nimirum ſit huius ſcientiæ neceſſitas. Verum cum iuſtitiæ virtus, ſine prudentiæ præſcripto nulla poſſit ratione conſiſtere, & iuſtitiæ mihi eſt, & prudentiæ habenda ratio. Quid enim aliud eſt iuris & æquitatis neceſſitatem probare velle, quam inutilem eloquentiæ ſpeciem declamatoria iactatione vel turpiter vendere, vel miſere perdere? cum nullus ſit adeo mente captus, qui non intelligat. nihil hac rerum omnium vniuerſitate contineri,

quod non sit iustitia firmatum, æquitate stabilitum? Ruant omnia necesse est, nisi hac potissimum virtute sustentata cohæreant. at qui sine aliqua iustitiæ cognitione, iustus esse nullus potest, igitur nec spiritum ducere Hãc tractationem, quam S. Thomas quæstione quinquagesima septima auspicatur, tam nobilem, tam amplam, tam necessariam, hoc toto anno explicandam, Deo iuuante, suscepi Illa non mediocrem à me laborem, sine dubio, exigit, à vobis diligentiam non minorem. Vestrum erit vti laboribus meis, meum erit vestra diligentia recreari. Si iure ac lege mecum agere vultis, omnino necesse est, vt quantum in hanc rem, vestra causa, operæ impendo, vos quoque tantum studij conferatis. Quid enim esset iniquius, quàm hoc anno æquitatis officia violare, quæ profitemur? sed hoc scilicet verendum minime est. Vos mihi, ego vobis mutua voluntate respondeo, summa vtrinque spectatur æqualitas, mei erga vos amoris, vestræ erga me obseruantiæ. Et quoniam Iurisperiti iustitiam esse volunt, firmam & constantem voluntatem reddendi vnicuique quod suum est, illam quoque talem inter nos perpetuo futuram esse cõfido. De cuius natura & conditione si minus apte præfari visus sum, vos iustitiæ cultores æquitatis statera librata, perpendite, quæso, materiæ magnitudinem, temporis breuitate, ma-

gistri

gistri prudentiam officio, officium volun-
tate.

ORATIO XVII.

Habita Burdigalæ, in schola Theologiæ, anno 608. ante explicationem Quæstionum tertiæ partis S. Thomæ, de Deo & homine Christo.

DIVINI AMORIS ET POTENTIÆ CERTAMEN.

TErtiusdecimus est annus (Senatores clarissimi, cæterique Auditores ornatissimi) cum in celebri Collegio Societatis nostræ Patauino, tertiam hanc Theologicam Sancti Thomæ partem explicaui. Initium operum Dei, & primus labor, Christus, mihi quoque Theologiam docendi, primus labor, & initium fuit. Educto Deus è sui cordis abdito sinu, & ex hac mundi vniuersitate Christo, rerum omnium procreatarum fine, perfecte requieuit ab omni opere quod patrarat. Si hoc iterum emenso tertiæ partis Oceano, ille nos, non in hac, in qua subsistere mortales nequeunt, peregrinantium via, sed in ea, ad quam progredi debent, beatarum mentium patria quiescere volet, tam sublimis ac reconditi mysterij cognitionem absolutam, quam hic

adipiſci laborando nullus poteſt, illic quieſcē-
do conſequemur. Currendum interim nobis
eſt cum Apóſtolo, ſi quomodo comprehen-
damus, in quo & comprehenſi ſumus. Hæc
enim, ſcilicet, eſt vita æterna, inquit auctor
vitæ, vt cognoſcant te Deum verum, & quem
miſiſti Ieſum Chriſtum. Et vero non minus
honorificum eſt, quam ſalubre, non minus
iucundum, quam neceſſarium, in eius rei cō-
templatione, & grata recognonitione, operā,
vires, animumque collocare, in qua mundi
opifex Deus inchoanda, vrgenda, perficienda,
vim omnem ſuæ ſapientiæ, bonitatis, iuſtitiæ,
poteſtatiſque conſumpſerit. Tam inſignis o-
pificij, quo omnia continentur, intellectio &
amor, noſtrorum quoque laborum & princi-
pium ſit, & finis? quemadmodum illud diui-
norum moliminum & finis & principium fu-
it. Neque nos tantæ rei magnitudo deterreat:
Deum hominemque tractamus: ingeret ille
promte & lumen ad intellectum & facies ad
amorem. Vult quippe, & poteſt. in eo enim
tam arcte copulata eſt cum humanitate diui-
nitas, vt nihil illi deeſſe poſſit aut diuini ad
potentiam aut humani ad voluntatem. Sed
cum tot ac tanta ſint multitudine, varietate
tam diuerſa, tam admiranda poteſtate, pul-
critudine tam conſpicua, tam ſublimia digni-
tate, quæ in hoc ſacroſancto, & à ſeculis, vt
ſcriptura diuina loquitur, abſcondito myſte-
rio

rio, vndequaque alliciunt, rapiunt, & absorbent? nihil tamen mentem dulcius afficit, nihil cor potentius ferit, quam in amplissimo ac magnificentissimo mundi amphiteatro, duos spectare luctantes; Deum & Amorem. Exercet Deum Amor: id vnum solicitus agit ac tentat, an ita Dei potentiam superare queat, vt ea, sine vllo tantæ maiestatis iniuriæ periculo, exhausta esse censeatur. Nimis arduũ videtur, quod in se suscipit amor; Audax nimium conatns, & confidentiæ inauditæ portentum quis enim infinitæ finem potentiæ nõ dicam reipsa constituat, sed vel ludicro insanientis, vt ita dicam, amore, animi cogitatu delineet? Vincet tamen Amor, vincet, ac Deum superabit, si Deus amore imperante id faciat, quod si facere possit, facere nihil possit vlterius. At contra, Deus id vnum sua & sapientia peruestigat, & arte molitur, & potentia agitat, vt Amoris ardores ita opprimat, insatiabilem corrumpat famem, sitimque demergat; ita machinas euertat, eneruet impetus, exscindat imperia, vt nihil amplius sit, quod aut fingere Amor somniando possit, aut appetere vigilando, aut adgrediendo tentare, aut audere iubendo, aut lenocinando extorquere. In lucta difficili, si fas est dicere, & ipse quoque desudat Deus. Quis enim interminatam Amoris cupidinem detruncet? quis desiderio sit pudor aut modus? ecquid esse, aut fingi potest

quod non idem expeti possit: cuilibet quidlibet obuium, quod lubeat. Quis Amori fræna immittat perpetuo præcipitanti? quis huic torrenti repagula opponat? quis in hunc Oceanum detonare audeat? hucusque peruenies, & hic confringes tumentes fluctus tuos. Non arena sistuntur hi fluctus; non spumant ad saxa; non relanguescunt ad scopulos; non luduntur erratico multiplicis lunæ arbitrio. Habet vnde, quò, & quà excurrat in immensum Amor. In Deo scilicet vagatur, ibi sese agit impacato fœdere, & quiete laboriosa. Vincet tamen Deus, vincet atque amorē superabit, si Amor, obsequente Deo, id consequatur, quod si consequi possit, consequi nihil possit vlterius. O spectaculum cœlo terræque non minus ambiguum ad expectationem, quam singulare ad nouitatem, non minus proficuū ad salutem, quā gratum ad voluptatem! suspensos animaduerto vestrum omnium animos, oculorum stupore præuio, quis tandem huius certaminis exitus sit futurus. Nulla sese huic pugnæ interserit sors, fortuna longe prospectat; fortunam arcet sapientia; fortem fortitudo non nouit. Ah! quid hoc: nonne videtis? Aspicite, succumbit Deus. Mandat, iubet, imperat Amor, Deum fieri hominem. Deus factus est homo: victus est Deus. quid ita? Audite. adeste animis. Det hoc mihi beneuolentia vestra, vt aures vestræ, multis iam hoc matutino tempore orationibus expletæ,

ad me vacuæ redeant. Aio, & clara voce pronuncio, prępotentem Deum, potentia sua absoluta (vt loquuntur Theologi) nihil nobilius ac præstantius vnione hypostatica verbi diuini cũ natura humana, efficere potuisse. Quid hæres? quid obstupescis? tibine Deo maius aliquid aut excellentius videtur? at vnione illa hypostatica, factum est, vt homo esset Deus; ergo nihil hoc opere maius aut excellentius à Deo fieri potuit. Placetne, duabus tibi theologicis vocibus totum hoc exprimam? extensiue Deus plus potest, intensiue nihil. Amor igitur diuinæ terminum potentiæ fixit. Sed hẽ quid hoc est? conuertite ad amorem oculos, succumbit amor: cedit, paret, obtemperat amori Deus, victus est Amor. quid ita? quia nihil velle potest Amor, aut imperare maius Deo. at Amoris imperio, Homo Deus est, terminum igitur amoris desiderio, diuina potentia fixit. Quamobrem luctator vterque & vincit & vincitur. Vincitur Deus, dum nihil maius superest quod possit efficere; vincitur Amor, dũ nihil maius superest ꝙ possit appetere: par vtrique triumphi gloria sempiterni. Geminas Hercules colũnas ad mare Atlãticũ statuit, non solũ suæ nauigationis limitẽ, verũ etiam monumentum. Imperator ille quem scitis, sibi visus maior Alcide, in illis inscribi sibi voluit tritum illud elogium (Plus vltra) magis ingeniose ad gloriam, quam adposite,
 ad

ad veritatem. multo enim ante illum, imo ante Ferdinandum auum eius maternum, Lusitani, incredibili virtute, Oceanum penetrarant. Sed hoc nihil ad nos Diuina potentia, vnam tibi columnam erigimus: Amor, tibi alteram: vtrique vnum & idem elogium (Non plus vltra.) Maior est gloria eo peruenisse, quo non plus vltra (si fas ita loqui) progredi possibile sit, quam eum attigisse limitem, quo semper plus vltra possit excurri. Iam vero quod genus inuenti Amor suaserit, & Potentia effecerit, vobiscum ipsi, Auditores, obsecro, paulo attentius reputate. Amoris proprium est, non solum similes reddere amantes, verum etiam amatorem ita transferre in amatum, vt vnus idemque, si fieri possit, euadant. Hinc philosophus, nescio quis, scite amorem mortem appellauit quod amator vita non sua, sed aliena viuat. Quid philosophum dico? philosophorum omnium ac gentium Doctor Apostolus, mortui estis, inquit, amore scilicet, & vita vestra abscondita est cum Christo in Deo quem amatis: sed profecte Amor humanus & procreatus, veram ac propriam vnitatem, & identitatem nullo ingenio, nulloque conatu producere potest. Illum enim quem amas quantumuis esse te dicas, & te esse illum, necesse tamen est, esse te alterum ab illo, & illum à te alterum esse. Proinde vetus prouerbium, (Amicus alter ego) non minus acute, quam

quam amanter prolatum eſt. Amicus enim meus, ego quidem, ſed alter, ego. Amor quippe, animorum vinculum eſt, non naturæ, eſt eſſe idem affectu, non perſona. Hoc igitur ſolius Amoris diuini ac potentiæ inuentum & opus, humanæ videlicet naturæ cum diuina, talis ac tanta coniunctio, vt nulla cognatione maior, dignitate nobilior, conditione beatior eſſe poſſit. Nouo, ſiquidem, & prorſus ſingulari duarum nexu in vna hypoſtaſi naturarum, factum eſt, vt, non dicam, Deus ſit alter homo, & homo alter Deus, ſed vnus idemque ſit & Deus homo, & homo Deus. Faciamus hominem ad imaginem & ſimilitudinem noſtram, inquit Deus, quin potius dicebat, faciamus hominem Deum An id ob amoris nimij teneritudinem enunciare non poterat? Ecce Adam, velut vnus ex nobis, ioco dixit: dicat ſerio, ecce nouus Adam, vnus ex nobis. Odiu næ arcana ſapientię! ô theſauros bonitatis? Quæ cum ita ſint, cum, inquam Deus optimus maximus in tali ac tanto opere Chriſto vim omnem, quodammodo, ſui amoris ac poteſtatis exhauſerit, quis non crederet futurum fuiſſe, vt homines, non ſolum ad humanitem informati, ſed etiam feri ac barbari, tantum amorem recolerent, tantam potentiam venerarentur, vires viribus rependerent, amore amorem æmularentur? Et tamen quis non perhorreſcat, dum videt aut au-

dit, Christum Iudæis scandalum, gentibus stultitiam, addo & hæreticis disceptandi & infaniendi licentiam? Quot perditissimorum hominum legiones infandas inferi vomuerunt, qui Christum, seculorum principem, regem gloriæ, sacrarium diuinitatis, salutis parentem, vindicem libertatis, aut personarum distinctione diuiderent, aut naturarum permistione confunderent, aut diuinitate priuarent, aut humanitate spoliarent? vt conscelerata dextera, & nefario ictu, Dei potentiam, qua valuit, & amorem quo voluit, trucidarent? Quid enim vos commemorem Nestorios, Eutychetes, Macedonios, Apollinares, Arios, aliosque quamplurimos, quos sola impietas memorabiles facit, & memoria execrandos, cœnum orbis terræ, haram turpitudinum, gurgustiorum sordes, propugnacula ignorantiæ, superbiæ gymnasia, seditionem senatus, Vulcanias libidinum, vitiorum officinas, direptionem vrbium, agrorum vastitatem, euersionem regnorum, Prouinciarum populationes, primam denique, & postremam omnium gentium ac nationũ perniciem? Deus immortalis! huccine omnia reciderunt, vt Christus, agnus ille cœlestis, in signum fœderis explicatus, in vltrices torqueretur saggittas? vt imperator vitæ constitutus in salutem, funestissimorum hominum nequitia, verteretur in ruinam? At enimvero

ſuos ſemper habuit diuina potentia & amor exercitus, quos pro Chriſti diuinitate, & humanitate tuenda, ad pugnam armaret, animaret ad victoriam; quique in illud ipſum Amphitheatrum militaturi ſemper ſuccederēt in quo diuinus amor & potētia contendiſſēt. Vos intelligo, fortunatiſſimi cœleſtis patriæ ciues, quorum fauſta natalia, & coronas, hoc tempore, anniuerſaria pompa celebramus; voſque potiſſimū, fortiſſimi martyres, quorum gloria præ cæteris illuſtris, non minus terras exhilarat, quam cœlum beat. Quos non gladios veſtro ſanguine imbuiſtis? quos non mucrones veſtris iugulis maritaſtis? quæ non theatra, veſtra cæde cruentaſtis? quos nō leones ac tygres in vos ipſos animaſtiſtis, ne quas natiua feritas vocabat ad carnificinā, hoſpita pietas reuocaret ad lenitatem? quæ non ſidera veſtrorum odoramentorum nubibus inumbraſtis, cum corpora veſtra animorum templa, fierent alimenta flammarum, non minus luculento incendio, quam ſuaui ſuffimento? Hæc vidiſti ſol, & non ſteriſti ad aſpectum naſcentis & adoleſcentis Eccleſiæ, tam fortiter depugnātis? quin potius curſum vrgebas fugitiue, ne forte tuos puderet radios in medio martyrum ſplendore nigrantes, quos antea in tui principis, in cruce librati, morte condideras. O columina militātis Eccleſiæ! O decora triumphantis! Vos item appello

pello, sanctissimi ac sapientissimi græcæ & latinæ Ecclesiæ patres. Vos gladijs, tot martyrum cruore iam saturatis & languidis calamos vestros acuistis, quibus Christi hostes meliori vulnere iugularetis: vos sanguinem, cum nullus eriperet vestris laboribus in sudorem compulistis: vos breuissimæ mortis compendium, in longissimæ vitæ durissimā mortem transtulistis; vt cum voluntas martyrio non deesset, non deesset aliquod martyrium voluntati. Quoties Europam bello, Africam dissidijs, asiam tumultibus furentem vidistis, cum sceleratissimi Hæresum duces quos doctrina & veritas non posset, arma ret insania. cum vniuersus terrarum orbis omnium malorum incendijs deflagraret, & interim immota perstaret in vobis sententiarum voluntatumque consentio, qua & vitæ sanctimonia, & scriptorum eruditione, & eloquentia vi sæuissima monstra fulminastis. Hos imitamini, per Deum immortalem, auditores, in eorum vestigiis pedem ponite, & insistite. Circumspicite saltem regiones, quæ vobis adiacent, perniciosissima nouarum hæresum peste, aut aliqua ex parte infectas, aut pene consumptas. Gallia tendit manus, opem implorat Germania, Britanni gemit ac luget. Non iam, vt olim, stygius Draco ferali cauda, stellarum tantummodo partem implicat ac deuoluit, sed inuidia ardens, turgentibus

ocu-

oculis, ore rabido, immanibus faucibus, dentibus, vnguibus, toto pectore truculentus assurgit, & inhiat, & confidit, (vt Deus loquitur cum Iob) fore vt Iordanis influat in os eius, hoc est, vt Christianus orbis sorbeatur. Ne patiamini, Christum, Deum hominem, amoris ac potentiæ miraculum, à diuinæ gloriæ prædonibus violari, neque illius vestem, Ecclesiam Catholicam, à feris teterrimis lacerari. Id vt præstare possitis, Christo duce, & comite virtute, in hanc tertiam sancti Thomæ partem, quæ tota de Christo est, omne ingenium, industriam, studiumque conferte in hanc, inquam, tertiam partem, Theologiæ principem, partium omnium theologicarum summam, dignitate præcipuam, varietate amplissimam, iucunditate plenissimam, difficultate arduam, vtilitate, fructibus, & necessitate, sine vlla dubitatione, omnium maximam, irrumpite, vos quoque in illud, de quo hactenus dixi, tam gloriosi certaminis amphitheatrum, vbi Deum cum amore luctantem, summa cum voluptate spectetis, in eo considete, mecumque, geminato plausu Epinicium canite.

Vt Deus insolito certamine vicit amorem,
Sic arte est simili victus amore Deus.

ORA-

ORATIO XVIII.

Habita Burdigalæ, in ſchola Theologiæ, anno 1609. ante explicationem Quæſtionum tertiæ partis S. Thomæ, de ſacroſancto Eucharistiæ ſacramento.

DIVINI AMORIS ET POTENTIÆ CONVIVIVM.

ANno ſuperiore(Senatores clariſſimi, cæterique Auditores ornatiſſimi) in opere, omnium quotquot eſſe poſſunt, præcellentiſſimo, Chriſto ſcilicet, Deo, & Homine, Amorem cum Potentia, Potentiam cum Amore certantem, vtrumque victum, victorem vtrumque ſpectauiſtis. Nunc amor & potentia pari iure triumphi ſublimes & humiles, non minus felici quam ſtabili fœdere inito, theatra in triclinium, arenam in menſam, certamen in conuiuium, ſcuta in patinas, tela in ſcyphos, pugnæ materiam in cibum potúque tranſtulerunt. Adeſte quotquot auditis, non iam ſpectatores conuiuij, vt dudum certaminis, ſed conuiuæ qui non athletæ. Ab illis pugnatum eſt, bono veſtro, non ſine labore, non ſine ſanguine, non ſinu præda. Tranſijt præda in epulas, ſanguis in ambroſiam, & labor in quietem. Hæc inter, ecquis eſt qui à me ſpar-

ſparſos dictionum floſculos, illigatas ad periodi circulum gemmulas, numeros ad aurem molliter cadentes, ſi menſæ accumbit, expectet? Non olent conditos ſermones, condita fercula, eloquentia non ardet in coquinis, non fumat in lancibus, non tonat in poculis. Quãobrem in hoc magnificentiſſimo amoris ac potentiæ conuiuio deſcribendo, afferenda eſt nuditas pro ornamentis, pro fuco veritas, admiratio pro diſquiſitione, pro graui oratione tripudium: cum nullus ſit, qui neſciat, ineſſe in lauta cœna hilaritatem, ſtuporem in potẽtia, veritatem in vino, & in amore nuditatem. Atque vt ad rem aggrediamur, diuini huius excellentia epuli, triplici potiſſimum è capite ſi non intelligi, indicari quidem certe quodãmodo poteſt. Primum pertinet ad cibum ipſum ac potum: Secundum, ad modum quo parantur: Tertium denique, ad fructus qui largiter inde dimanant. Ergo Amor, & Potentia, inſtruendi conuiuij partes inter ſe diſtribuunt: venandi Amor, prædam apponẽdi potentia. Iam non erunt Leo & Lupus in fabula, ſed audientur in hiſtoria. Summus ille, ac Deo gratiſſimus Patriarcha, duodecim tribuum Parens, cum exceſſurus è vita, filijs ſuis bene precaretur, ſic Beniamin affatus eſt, Beniamin lupus rapax, mane comedet prædam, & veſpere diuidet ſpolia: Iudam vero ſic, Catulus leonis Iuda, ad prædam, fili mi,

aſcen-

ascendisti. Ego Amorem, veluti lupum rapacem, Potentiam vero, quasi leonem fortissimum dicere non dubitabo. Neque hoc de mea solum sententia, sed de veterum quorundam Hebræorum auctoritate deducam. Itaque aliqui Rabini (teste sancto Hieronymo, qui eos hac in re non improbat) & interpres Chaldaicus, per Beniamin lupum rapacem, intelligi volunt Altare templi Hierosolymorum, in quo infinita victimarum multitudo immolari solebat. Altare mane comedit prædam, scilicet hostias, inquiunt, quæ mane mactabantur: & vespere diuidet spolia: hoc est, sacerdotibus, quibus vespere, secundum legum residuum victimarum diuidebatur. Neque vero temere id asserunt: siquidem certum est, templum illud augustissimum, in loco tribus Beniamin conditum fuisse. Hoc ipsum altare, quod Beniamin lupum rapacem esse diximus, Prophetæ aliqui Ariel, hoc est leonem Dei appellauerunt, vt Esaias, & Ezechiel, quod veluti leo, boues & oues & ceteras hostias deuoraret. Altare, Amor est, Auditores, & cordis gremium. Hic enim ardet cupido insatiabilis, hic litatur lacrymarum pateris, hic suspiria conduntur in nubem, hic in Arabum segetem efflata concrescunt desideria, hic caduntur iugiter victimarum greges. Amor, scilicet, quod libitum est rapit, ac sibi repente sacrificium facit: & nunquam tamen in me-

dia

dia tot rerum ſtrage fames ac ſitjs profligatur. Lupus iſte rapax, Beniamin iſte, ſemper langueſcit vero in fraudulenta ſatietate ieiunio. Innumera hoſtiarum milia, in illo celeberrimo templo Salomonis abſumpſit: & adhuc fames: & illud quoque templum, cum ſuis holocauſtis, tandem aliquando deflagrauit. Quo ſe igitur conuertet lupus rapax? quas in partes venationem inaugurabitur? Vna hominis gula, retia omnia occupat, & exercet, ad fauces Oceano laxiores: & adhuc fames. Iam non natiuus appetitus, ſed violenter excita libido, moræ impatiens, ſagittas per ſe ſatis pernices, additis pennis volare docuit ad celeriorem ferarum interitum. Nulli animātum generi tuta ſedes, ne tum quidem, cum in eam, quam quietum hoſpitium ſperabant, ingeſta ſunt alluum. Vnius Vitellij venter, vna cœna, hanc rerum vniuerſitatem pene ſtrāgulauit. Cynedus ille, ſui ipſius ſacerdos Heliogabalus, ſe à ſe placatum non putaſſet, niſi plerumque ad conuiuia ſingula, legionum annonas mactauiſſet. Imperator albinus, naturæ vorago, primis aut tertijs vnius epuli menſis, centum Perſica campana, ducem pepones Hoſtienſes, quingentas ficus paſſarias & quadringenta oſtrea deuorauit: & adhuc fames. Nequitia, & tempore illis ſuperior. Nero, ſine ſua decocta moribundus, ſibi iugulū fregit, ſi forte poſſet in ſumma ſiti ſangui-

gui-

guinem innocentum, quo se ingurgitarat, rursus haurire: & adhuc sitis. Enimuero facta sunt, & ipsæ quoque imperatoriæ cœnæ ludibrio. Metalla & lapides vocantur in ventrem. Ægyptia muliercula, orbis terræ dominarum pellex, ad Romani Imperatoris inuidiam, lasciuientis ad aurem Vnionis macerati ambitioso haustu, regni opulentiam trucidauit: & adhuc sitis. Iam non in auro, sed aurum bibitur. sic omni potione & poculis ipsis potatis, non video quid potandum superſit, nisi forte sitis ipsa potetur. Crescite, & multiplicamini, & replete aquas maris, sæpe proclamatum, ipso præcone Deo. O rerum sator! crescant & multiplicentur, vt lubet, vigilans & promptum est horum omnium vna gula verriculum. Exenteratur aer, flagellatur mare, laceratur terra, natura auaritiæ fit rea, & adhuc fames ac sitis. At enim, inquies, ista sunt homine inferiora. Insidiari oportet Angelorum pabulis. illa, illa opima præda futura est. nimirum Manna panis Angelorum est, & ita nuncupatum, quod eorum manibus esset, & arte confectum. Benè, optime; curre amor, pande sinus, non opus est insidijs, liberali cœlo. Grandinant nubes Manna: Arabiæ solitudines angelico factæ sunt feraces pabulo: Deserta illa horrida insultant stagnantis Nili felicibus oris. Heu! nauseat anima

nostra

nostra super cibo isto leuissimo. suas habeant angeli delicias: Deos nostros Ægyptios edere malumus. ô Allia! ô Cæpe! ô Porri! ô Pepones! & vos ô Cucurbitæ! Dij beati! nam quidni sint Dij angelis meliores? Amice Beniamin, lupe rapax, verte aliò fauces: in Arabia quoque ieiunabis. Sed res est, supra quam credi possit, admiranda, quod illud Manna, vnum idemque, ciborum omnium, & ideo Alliorum, & Ceparum sapores, non modo continebat, verumetiam ita transfundebat in gustum edentis, vt perdix perdicem, porrus porrum, piscis piscem appetenti fieret. Diceres illud naturæ penu, aut escarum compendium. & tamen illi, non minus insani, quàm delicati peregrini ventres, allium in allio, cepam in cepa, porrum in porro rabidè esuriebant. Ad sitientis ac murmurantis harum pecudum gregis latratus, ac boatus, silices virga feriuntur, qua duriores silice ceruices à Mose conteri satius fortasse fuisset. Ergo saxa dissultant; rupium scinditur vterus; erumpunt fontes; torrentes exundant; Hebræi de petra, melle saturantur: & adhuc sitis. O Beniamin, lupe rapax, O Amor, quando rapies prædam quam mane comedas, & vespere diuidas spolia? Lupos sagaces, ac vafros natura fecit, prædæ captandæ. Aude Beniamin, aude amòr: quis enim desi-

desiderio sit pudor aut modus? & amori, qui
deesse possit ingenij! Videamus quo impetum
dirigat; & nos quoque sequamur mente, cu
rentem. Fugit è syluis, deserit vrbes orbis in
fimi tædet, transuolet nubes, cœlum supera
proh Deum immortalem! in gremium Patri
æterni se se infert, & iactat, illinc prædam, v
nigenitũ scilicet, qui est in sinu patris eripit
vt ita dicam, & ad nos detrahit. O illud mane
sine vespera, sine nocte dies, lux sine tenebris,
sine tempore æternitas? In illo mane, in spl
doribus sanctorum, irradiante diuinitate, an
te Luciferum genitum Verbum, Amor felic
venatur aucupio. Accelera, festina, prædat
Amor diuide spolia, diuide spolia vespere
Vespere autem facto, discumbebat Iesus cum
duodecim discipulis suis, & de seipso, quem
præbebat, dixit; Accipite & diuidite inter vos.
Amor diuide spolia vespere. Hoc est corpus
meum: hic est sanguis meus. Accipite & diui
dite inter vos. O vespera mortalitatis! O spo
lium diuinitatis? Hæc illa esca, hic ille potus
quæ duo sola, inexplebilem humanæ naturæ
famem satiare, & sitim extinguere omni ex
parte possunt. Sed ecce iam (quod mihi se-
cuudo loco dicendum proposui) labor labo
rem excipit, nouumque surgit opus, & multi-
plex & arduum. Inuenta quidem est, & cap-
ta præda. Sed quis illa vesci queat? quis illa
frui? Vnica tantum est, & natiua vi, vno ti-

tu

tum in loco, & quidem in cœlo, & sub vna quidem ratione, infinita, sub altera verò, cum debita mole quantitatis, & eius gloria mortalem fugit aspectum, denique est omnis interitus expers. Si vna, quomodo infinitis, eodem temporis puncto, & quidem singulis tota porrigi possit? si vno tantum in loco, quomodo simul vbique gentium? si in cœlo, quis illam in terras deuehat? si infinita, tanta quanta est, quis illam nostro tam angusto condat in sinu? si summa illius gloria, quis sustineat præsentiam maiestatis? si manducetur, quomodo esu non consumatur? Hîc, Auditores, leone opus fortissimo. Leo, Aries est, altare Dei ipse quoque est. Hîc igitur exultat potentiæ vis, hîc triumphat imperium. Has scilicet omnes difficultatum moles, Potentia, Amore comite, vna machina euertit. Viderat à Deo præpotenti, vestem diuinitati esse contextam, humanam scilicet Christi naturam. Enimuero & aliud quoque indumentum Christo, vt homini, conficiendum esse decreuit. Sed quoniam leo & lupus, non nisi ad escã inhiant, profectò non aliud illls integumentũ placuit, quàm quod ferculum esset, ac vehiculum cibo traijciendo. At quis in fame moram patiatur? Vt in amore moram pati mori est, ita in ieiunio famem diuturnam. Et huic igitur prouidendum incom-

modo, vt cum appetitus vrget, ſit cœna paͥrata, ſit cibus in promptu. Quid loquela promptius? quid pane paratius; Sacerdos, ſume fruſtulum panis, dic illud eſſe, quod ritè eſſe vis. dictum, factum, panis, iam non panis, ſed abiecta, & relicta ſua ſola tunica, qua Chriſti corpus obducat, & contegat, de pane fit Chriſti corpus, tota inquam panis ſubſtantia, in integrum & perfectum Chriſti corpus, admirabili mutatione, conuertitur: Sic cibus in promptu eſt, ſic cœna repentè parata. Non enim hîc obſonatorum Reſpublica, non operoſi coquorum exercitus, non vana pompa miniſtrorum, non flammarum crepitus, non mugitus ollarum, non Ixionis rota, in veru ſudantibus apris, non explicatæ patellarum legiones, non gementes gladiorum ictibus incudes culinarum, non ſtratis ferarum cadaueribus, cruore natantia pauimenta, non artium & ingeniorum omnium, condiendis prurienti palato ſaporibus, in ius, in cequuleum, in quæſtionem rapta ſolertia, & conquiſitis toto terrarum orbe cellis vinarijs dolia iugulata! non amphorarũ diſpoſitæ cohortes, non coronati cyatorum manipuli, non denique ad regios apparatus, vniuerſalis regionum, rerumque omnium in Præfecturæ digitis nomenclatura. Sed cõtra, cũ Deus ſit

ſummè ſimplex, profectò Chriſti Dei & hominis conuiuium, pro ſua quoque ratione ac modo, nō peterat non eſſe maximè ſimplex. Qualis paſtor, tale pabulum. neque officit infinitas ſimplicitati, neque ſimplicitas infinitati. Nam quod attinet ad Chriſti necis, in cuius memoriam epulamur, inſignia, vt funes, flagra, ſpinas, crucem, clauos, fel, abſinthium, & alia huiuſmodi, hæc ſolum ad epuli ſunt admixta condimentum. O quis vnquam vltimo afficiendus ſupplicio, in conuiuij ſaporem conuertere potuit inſtrumenta ſupplicij? Perge porro, Dei ſummè ſimplicis, fari nefas eſt tetragrammaton nomen: at longe mirabilius eſt, Deum ipſum à ſacerdote, quaterna fanda dictione produci. Dixit Deus, & facta ſunt, Dixit ſacerdos & factum eſt Sed quanto Deus rebus omnibus antecellit, tanto plus eſt, à ſacerdote, diuinæ potentiæ, miniſtro, Verbum, Deum hominem ex pane, verbo effici, quàm à Deo omnia ex nihilo procreari, & quod ſemel periactum eſt in vtero Virginis, id quotidiè confici in manibus ſacerdotis. Mundi partes ſunt quatuor, quatuor, vniuerſa cœlo ſubdita, conflantur elementis. En tibi, quatuor verbis, non mundum, ſed mundi opificem, ſub tantillo apparentis guttulæ vini, & panis particulæ auulſo amictu, repentè conditum. Hominem

Græci microcoſmon, ſed iam Chriſtum microtheon, & micanthropon nominare quodammodo poſſumus. Deum magnum dicere, parua res eſt; paruum aſſerere, magna. Iam tandem fas eſt hominibus dimicare cum Deo. Non eſt de magnitudine, ſed de paruitate contentio, non hic metuenda, giganteo bello, horrifica Iouis fulmina. Præpotens Deus, nouo belli genere, non deamplificando, ſed in penè nihilum redigendo imperio, non de infinita Regia tuenda, ſed de angulo, & de inuadenda minima ſede decertat. Verè nunc in tenui labor eſt, at tenuis non gloria: gloriam enim Deus maiorem ſibi vult exilitate, quàm amplitudine comparare. Ergo pugnat, & vincit, in punctum enim ſe conijcit, ſe ſe coarctat in puncto, id puncto eſt. quid autem puncto minus eſſe poteſt? minimo minus eſt punctum. malè loquor; nec minus, nec minimum de puncto enunciari poteſt. Ibi triumphat Deus, inaudita victoria. Ibi tanquam in arce tutiſſima regnat. quis enim illum poſſit tam anguſto collectum ac latentem vallo adoriri? O quantum eſt in animi dimiſſione munimenti! O quantum eſt in exiguo laudis! Faceſſat hinc, Homeri tota Ilias, inteſtino draconis inſcripta, procul hinc, incluſa nuce Odyſſea: ſubducat ſe hinc ſaltu pulex, ad auream illigatus cathenulam.

nulam. Etenim & ad hæc ludicra, vires conuocauit, laboris improbitas, & ingenij senatum, suiipsius pertæsæ artis insania. Hoc solum pretium operæ fuit, quod Troiana bella, incendia, & ruinæ, draconis pectori, Ithaci vero amores, puerorum nucibus commissi sunt & pulex captiuus, ad currum triumphantis artificis, cathena tractus, elusit omnes (quibus sola raritas pretium fecit) margaritas. Itaque iam non Iliaca prælia in lacero ventre draconis, sed Christi cruciatus, & tragica mors, huius Sacramenti ministerio, in visceribus humanis altè impressa hæret ac viuit. Iam non Ithacæ Procorum cupidines, puerili nucula, sed cœlestis sponsi amores ac deliciæ, exiguo sinu nostri cordis abduntur. Iam non pulex, aureis adstrictus vinculis, sed Deus, Deus, inquam, ipse immensus, contexta bis geminis vocularum annulis cathenula comprehensus ac vinctus, nobis indissolubili amoris nodo implicatur. Quamobrem non est quod vereamur, ne in hoc celeberrimo epulo propter magnitudinem escæ, pars illius aliqua supersit, quam edere possibile non sit, cum patrem sine toto in os inserere, & in pectore condere nulla ratione possimus. In lautissimis cœnis panditur & exibetur ingens ferculorum multitudo varietas, quis illis omnibus vno tempore sese inferciat? nulla id

poſſet ventris immanitas. quam id cuperent, ſi fieri poſſet, quamplurimi helluones, & gurgites! certè quidem vt vnica bucella, totum macelli Prætorium obligurirent. apage, male cum dominis ageretur. Ecce tibi infinita eſca, & in vna quidem, omnium quotquot eſſe, aut fingi poſſunt ciborum ſuauitates, ſub tantulo mentitæ placentulæ ſorbilo, tota tota ſimul, quanta eſt & gratis, & quoties lubet, ſumenda proponitur. Debita cibi menſura, eſt calor naturalis, puſillo ventri, exiguus cibus, amplior capaciori O amor, quantum in te caloris ineſt, qui Deum digerere potes! Perfecit igitur, Auditores, potentia, quod tentabat: poſſidet amor, quod ardebat. Deiectæ ſunt arduæ illæ, ſupra oppoſitæ difficultates. Sic vna ſingulis indiuiſæ victimæ præbetur integritas: ſic, ſi non vbique, vbicumque tamen ſacerdoti, ſubiecta materia, lubet, repentè præſens eſt, cum diuinitate humanitas: ſic, non ad Ioſue imperium ſtat ſol, ſed de ſua (quam tamen non deſerit) ſede decurrit Deus, ad ſacerdotis arbitrium: ſic in punctum ſeſe compellit infinitas, ſic latet Dei hominis veneranda maieſtas, ſic denique cibi non eſt metuenda conſumptio, cum in Chriſti corpore, nulla fiat vel ſumptione mutatio, vel partitione diuiſio. Quo fit vt in tam admirando conuiuio inſtruendo, nihil ſupereſſe

pereſſe

peresse possit difficilius factu, ad potentiam, neque gustu suauius, ad morem. Iam vero vt ad tertiam ac postremam, non tam orationis, quàm tripudij mei partem; quæ de huius diuini sacramenti effectibus est, veniamus, tres tantum de infinitis eius fructibus, & quidem maxima cum breuitate, delibabo. Primus fructus est, nullum esse illius fructum, vel minimum, qui omni omnium quotquot sunt, fuerunt, erunt eloquentia, aut satis laudari possit, ad commendationem, aut exprimi, ad veritatem. Est sua silentio facundia, dum lingua, cœlesti delibuta liquore, & illicientis escæ titillata dulcedine, transtulit in gustandi officium, loquendi vsum: & tum demum perfectè intelligit, qui tacendo dicat, cum nescit, ebria, quid loquatur. Hic edere, declamare est: quia dum semper appetis illud, quo frueris, bonum, testaris, nunquam satis esse boni encomium. Alter fructus in eo consistit, quod, cum corpus, & spiritus constituant hominem, consequens est, vt homo & spiritu nutriatur, & corpore. Cum igitur CHRISTVS, vt homo, vtroque conflatus sit, & conuenientem homini detur in cibum, profecto quidquid in illa vtraque parte, præstantiæ donorumque, Christi naturæ concessum est, totum id Christo homine, homini communicari fatendum est.

Sed maius est quod dicam: cum enim Christus & homo sit, & idem Deus, hinc fit, vt totum quod Deus est, non per effectus, vt cæteris in rebus, sed, vtpote cibus, nullo interiecto medio, in penitissimas gliscens medullas, & sese, visceribus nostris adglutinans, suauitatem in nos omnem, & gustus mollitudinem, vim ac robur animi, virtutum lumina & ardores, immensitatem ac varietatem opum, decoris ac pulchritudinis miracula, bona denique omnia, non dicam aperta & prodiga manu, sed profligato sinu, sed direpto pectore, sed euersis thesauris vsquequaque profundat. Parua sunt hæc quæ commemoro, si cum eo quod dicendum superest conferatur. Ad tertium igitur fructũ exultat oratio. Ea est, Auditores, huius natura escæ, vt etsi à cæteris cibis, ratione distet infinita, hoc tamen eius discrimen, inter alia, supremum sibi vindicet principatum. Sic igitur se res habet. Cum mortale capessimus alimentum, nos non generamur alimento, sed iam ante geniti, tantummodo nutrimur. caussa in promptu est, quia non nos in pabulum, sed pabulum in nos conuertitur Imò verò nos alimentum nutrire non posset, nisi nostri naturam corporis sortiretur. At verò contrà, cum per hoc præstantissimum sacramentum, non Deus in nos, sed nos transmutemur in Deum, consequens

ſequens eſt, vt generemur, ſed, proh Deum immortalem! quid hac generatione euadimus? nimirum, cùm ſimilis ſimilem generet, Chriſtus Chriſtos, Deus generat Deos. O conceptus, & ô partus inauditi! Quoniam autem ex ijs nutrimur, ex quibus geniti ſumus, vt homo ab homine, humano, ſic Dij à Deo geniti, diuino lacte nutrimur. Chriſti ſanguis effuſus in generationis inſtrumentum, conuerſus eſt in lactis humorem ad nutrimentum. Lactaberis, inquit Iſaias, mammilla regum. non regum, ô Iſaia, ſed Dei mammilla lactamur. Ad Dei vbera portatur infantulus. Hìc innexis parentis lateri brachiolis, ore audio, ſcintillantibus ocellis, ſugit, lambit, preſſat, trahit, vrget, & ſorbillat papillas, & mollibus morſiunculis laceſſit, ſi fortè ſiccare queat vbera liquidiſſimæ voluptatis. Poteſt, & nequit. dum, ſcilicet, totum fontem ebibit, nulla de toto diminuta guttula, ad ſatietatis famem, alterna nouæ ſemper famis prouocatione ſaturandam. Sed quid hoc? hem! quæ rerum nouitas? qui naturæ ordo? Deus ipſe, parens ac nutrix, ſui fœtus planè inaudito amore capitur: cum ſuo infantulo, & adhuc vagiente, quis crederet vnquam? matrimonium init? Chriſte Optime Maxime, túne quoque in tuo epulo vini flore percuſſus es? Ita eſt, Aud. memini, recordor; in

vltima illa cœna, ſuum ipſe ſanguinem hauſit, factus eſt ebrius. O quantam vim tali vino ſubeſſe oportet! ô quid non in nobis efficiet, quod auctorem ſuum, quod tale, tantum, ac tam forte caput inuaſit ac ſtrauit! ergo, vt dicebam, infans ſui repentè ſponſa fit parentis. De vtero itur ad cor, de mammillis ad vultus, de cunis ad thalamũ. Vritur tyrunculus amore quem non didicit, & ſentit vulnera, quæ ignorat. plaga corpuſculo maior eſt: exiguum cor latet in amplo vulnere: annulus nuptialis aptior eſt capiti ad coronam, quàm digitulo ad fidei arrham. blanditur pupulus pœnæ ſuæ, & ridet in dulci tormento: pipit, ad pungentis nonæ curæ delicias, & vigilem langueſcit in ſoporem. Potare tamen didicit de Chriſti patera: potuit, quia ſapit: & tali mero factus ſeipſo fortior, audet, & caput attollit, & inuſus Dei collo, immortales petit amplexus, & delicatam importuno amore ingerente fiduciam, tenera diuinis ait ſuauia labellis, & mutuò ſibi reddita deuorat oſcula. O inuſitatæ conuiuij leges! O nunquam ante collecti fructus. Ite, ite felicibus inſidiis, occulti amores, obductum eſt Sacramenti velum. diſcurrite impatientis amoris tonitrua, vos niuei orbiculi nubecula tegit. cane cum ſponſo virgineum obnubilata ſponſa, prælucente nocturna fidei face, Hymenæum: oculi

oculi oculis, oribus ora, pectora pectoribus congeminentur: donec cedentibus vmbris, illucescat, ah! nimium diu dilata dies, in qua matrimonium vestrum beata perennitate consummetur. Interim epulari oportet, & gaudere, quia præda quærebatur, & ab amore inuenta est, ad mensam poscebatur, & à potentis nobis apposita. Gruniant foris Porcorum greges, stercore saginati: circumstrepant cœnaculo Harpyæ, quibus fœdissima ventris proluuies, vncæque manus, & pallida semper ora fame: existant è suis specubus, & sese efferant Æthnæi Cyclopes, carnea propugnacula, monophthalmi, hoc est vno tantum naturæ oculo præditi. Assurgat huius tam præclari exercitus imperator, stygius Draco, liuentibus oculis, turgidoque inuidia collo, & è tonanti faucium fornace, pestifero halitu venena iaculetur. Suo Christus torculari spem circumdedit, & speculā statuit. Nos de torculari furentes, & fide vallati, & Ecclesiæ Catholicæ vigilia tuti, Porcos, Harpyas, Cyclopas & dracones, vno spiritu dissuflamus. neq; ad veneni suspicionem in mensa, dubio cibo, pallescimus. Vnicornis cornu, promptum est contra toxica remedium. quin etiam ferunt, si quid lateat in mensa noxij, hoc cornu, admoto, sudare conuiuas: Christi altare, cornu est Vnicornis, teste regio Vate: & posuit, inquit, sicut vnicorniū sanctificiū suū in terra,

id est in Ecclesia, quam fundauit in secula. Isti, isti noctiuagi seculi nostri bubones, credere nolunt, quia non vident. Insani! Christus ideo latere voluit ne videretur. neque dixit, Accipite, & disputate, sed accipite, & comedite. Credant, & videbunt, edant, & gustabunt. ne perpetuò fiant, non credendo cæci, & disputando ieiuni. Surge leo, irrue lupe, & huiusmodi, non dico hominum, sed hæresum monstra discerpite. resipiscant homines, intereant hæreses. Heu! qui inuitati erant, non fuerunt digni. Vos autem comedite amici, & bibite, quia iam omnia parata sunt. tauri pingues & altilia occisa sunt. tauri pingues, ad veteris legis altare mactati. figuræ delectæ sunt. Nunc nunc Altile nostrum, & idem agnus, omnia trahit ad seipsum. Epulemur & gaudeamus, quia præda quærebatur, & à lupo inuenta est, ad mensam poscebatur, & à leone apposita. neque enim escam Amor captare meliorem potuit, neque parare potentia ditiorem.

ORATIO XIX.

Die festo S. Stephani protomartyris. Pataui anno 1598.

De illis verbis, Actorum Apostolorum cap. 6. (Non poterant resistere sapientiæ & spiritui qui loquebatur.)

ACTIO PRIMA.

SAPIENTIA NON SINE Spiritu.

SEmper vincere, & vinci numquam posse (viri nobilissimi) res est, vna quidem ex parte, non minus rara, quàm expetita: sed ex altera, non minus est in eius adeptione difficultatis, quàm propensionis in voluntate. Enimverò & illud deplorandum, quod multo maxima hominum pars aut vires & arma, quibus id consequatur, ignorat, aut si nouit, quantum desiderio ad tam insigne decus impellitur, tantum arduo labore reuocatur. Quamobrem si quis est qui tam vtilis,

lis, ac necessariæ cognitionis cupiditate ardeat, habet vnde illã copiosè hauriat, securè teneat, & prudenter vtatur. (*Non poterant resistere sapientiæ & spiritui, qui loquebatur*) inquit ille, non minus animorũ, quã corporum curator egregius, ac tã fidelis rerũ ab Apostolis gestarũ narrator, quàm sacrarũ imaginum fictor illustris. Auditis? videtis? Vires suggerit generosam ad pugnã, arma porrigit ad certã victoriam. Ne quis terreatur præcepta paucis expedit: gemino instruit militẽ verbo. Nõ poterant (inquit) nimirũ furentes Christi hostiũ cohortes, resistere sapientiæ & spiritui, qui loquebatur. Iam satis est in animo artis: cõserẽdæ sunt manus. Spectaculũ quæritis ad incitamentũ, & certamen ad exemplum? Adeste, descẽdite in arenã. En prodit hodierna die in theatrũ, Solymorũ gloria, suo coronatus nomine ac virtute Athleta fortissimus, Martyrum princeps, primus pompæ ductor triumphalis, Antesignanus Christi militum qui nõ minus caritate ardentes, quã sapiẽtia armati, admissis vlcro in sua pectora vulneribus, barbarorũ perfidiã trucidarũt, qui abiectis glorioso prælio cadaueribus suis, strauerunt exercitus impiorũ, qui sacrifica suorũ corporũ flamma teterrimã depulerunt atrorũ caliginẽ, qui deniq; syluescente atq; horrentẽ misera sterilitate terrarũ orbẽ, sanguinis eluuione fœcundarunt. Ecce illũ in media insanientiũ & efferatorũ hostiũ phalange, sapiẽtiæ tela vibrantẽ,

caritas-

caritatis iaculantē faces, qui dū in ſumma audacia, nequeunt reſiſtere ſapientiæ, & ſpiritui qui loquebatur, aures obfirmati cōiuges animi ære triplici vallāt, & obſtruunt, vt vel ipſo corporis nobiliſſimo ſenſu ſtrāgulato, violēter efflatū, qui ſupereſſet, ſpei halitū miſerāda impudentia teſtarentur. Sed ne ita in ipſo theatri aditu, celeberrimę pugnæ ſpecie attonita tapiatur oratio mea, vt ab eo ꝙ ſibi prius ſpectandū propoſuit, auertatur, militis huius inuicti arma nunc paulo attentius intueamur, vt ad extremū, aliquid de eius certamine & victoria proferamus. Gemina ſunt eius, vt iā ſignificaui, (Auditores) inſtrumēta, nō minus ad victoriā fœcunda, q̃ ad pugnā nata, nimirū ſapientia, & animoſū pectus. Sapientia, hoc eſt rerū diuinarū humanarumq; cognitio, ſine diuinę glorię zelo (hac.n. voce Gręca, cōpendio vtar) ſtultitia eſt: zelus ſine ſapientia, temeritas: ſapiētia ſine zelo, vanitas: zelus ſine ſapiētia, audacia: ſola ſapiētia pernicioſa eſt: ſolus zelus periculoſus: ſola ſapiētia ſibi incubans, cōcreſcit ad corruptionē: ſolus zelus, nimia fiducia, præcipitat ad ruinā. Quid eſſe cōmemorē zelū ſine ſapientia? nauē ſine rectore, currū ſine auriga, equū ſine habenis, ſine mēte gladiū, pelagus ſine ſale, cœ ū ſine lumine rotatū, denique obiecta pietatis imagine, ruentem in incertum furorem. Atque ne hæc videar de meo priuato ſenſu eruta promere, tametſi per ſe ſatis manifeſta ſunt, & omniū

oculis

oculis expoſita, nihilominus tum rationis, tum auctoritatis luce perfuſa, illuſtriora fient ad veritatem, & ad oblectationem gratiora. Homines ad Dei vnius cognitionem, & honeſtas actiones procreatos eſſe, nullus eſt, ſi homo eſt, qui non vltro fateatur. Eo referuntur omnia. Intelligentia ſedet in mente: in voluntate viget actio. Cognitio ſeipſa contenta, conquieſcit: operatio nulla inde conſequitur, niſi ſolicita ſeſe voluntas exerceat, & reliquas ad ſua munia facultates impellat. Appoſitè Plato (quamquam aliud ſpectaret) contemplatricem ſcientiam dixiſſe fertur, eſſe quandam veluti mortem, ſine ſenſu videlicet, ſine motu, ſine vlla vi & energia, ſi nos ea ſola contenti, ad virtutis officia, nullo voluntates imperio commouemur. Quod ſi hominis ſpectata tantummodo natura, ita ſe res habet, quid nunc dicendum eſſe cenſeris, cum nos ad finem, qui ſupra naturam eſt, ad immortalem ſcilicet gloriam, à Deo præpotenti conditos, ſupremis virtutibus Fidei, Spei, & Caritatis, excoli, erigi, perfici, & tum demum ſalutem conſequi oporteat? Quamobrem ita ſpiritum (hac enim ſacræ ſcripturæ voce vtar vt inſiſtam in eo, quod initio mihi propoſui, argumento) ſapientiæ maritum eſſe neceſſe eſt, vt illis nullo diſſociatis diuortio, cedere omnia poſſint, reſiſtere nihil. Iam vero, vtinam è

diuinis vtriusque testamenti arcanis delibare aliquid possem, quo rerum diuinarum humanarumque scientiam, cum animi ardore atque impetu, felici nexu implicatam, quasi quadam specie adumbratam cerneretis: Rerum effector Deus, primum nostri parentem generis, ad imaginem & similitudinem suam procreasse narratur. Quis nesciat Filium esse veram Patris imaginem? Spiritum vero sanctum, quæ tertia est adorandæ Trinitatis persona, etsi nec Filij, ab vtroque tamen procedentem vtrique similem esse confitemur. Cum igitur sapientia Filio, amor Spiritui sancto tribuatur, tum demum humanus animus imaginem illam, ac similitudinem in se signatam exprimet, si sapientiæ amorem, amori sapientiam copularit. Enimvero & illud addo, si non è propria solum illius potentia, verumetiam sapientia, generosus ardor existat: quandoquidem non solum à Patre præpotente, verumetiam à sapiente Filio, Spiritus ille, illa æterna flamma, ille halitus amoris emanat. (Et inspirauit) inquit libri Geneseos auctor (in faciem eius spiraculum vitæ.) Eodem recidimus. Sapientiæ & imaginis diuinæ typus, est facies. Ergo ex illa imagine, quam in facie inscripsit, existat, fulguret, tonet, erumpat oportet spiraculum illud, ille vigor animosus amoris. Inspirauit in faciem eius spiraculum vitæ.

Itaque

Itaque hominem Deus finxit, formauitque suspirio. O rem omnibus literis, monumentis, ac seculis memorandam! Hominem igitur quid esse dicemus; diuini amoris suspirium. Vtinam ille non alio auersus, deiectus & corruptus esset afflatu! Etenim ecce tibi donorum cœlestium, animorumque prædonem, tartareum principem & draconem, in quo iam diuinus esset extinctus inuidia zelus, in quo omnis contruncata & radicitus extirpata pietas, generis humani procellam, tempestatem pacis & otij, scientiæ typho turgentem, sua ebrium specie, natiuis luxuriantem in bonis, adsurgere, adgredi, centuplici fraudum volumine sensus distinere muliebres, turbineis ambagibus peruertere femineum caput, simulatam iaculari sibilo pestem. Eritis, inquit, sicut Dij, scientes bonum & malum. Explicat, & prætendit oculis sapientiæ imaginem, dum sensim euocat, elicit, & vitalem exhaurit è corde spiritum, donec imbutum tabifico glilcente succo animum, non Deo, sed sibi similem reddat. Dici oportebat, (si dici potuisset,) Eritis sicut Dij, scientes bonum, & illud efficientes, scientes malum, illudque vitantes. Sed ille tamen, in omnes obliquos vias, mutilam spondet veritatem, dum illam ambiguo venenatam mendacio, tum primum exercita arte propinat. Sic enim primi paren-

parentes sciuerunt bonum quod amiserunt, & malum quod inuenerunt, boni scientes & mali, sed non vt Dij. Vide tam funestus Tragœdiæ finis? nimirum quia in scena partes sibi omnes speciosa scientia vendicat, spiritus auctor excluditur. Quare non alius existere poterat insanientis sapientiæ fructus, non aliud bustum, cœlesti ardore oppresso, & prorsus extincto. Hebræorum aliqui Cherub à che, & rabia, dictum putant; hoc est, sicut puer. Alij, vt S. Dionysius, Cherub plenitudinem scientiæ interpretantur. At vero Theologorum nostrorum quidam non defuerunt, qui hostem crudelissimum, qui primos generis humani parentes, eo quo adhuc cruentamur certamine profligauit, inter Cherubim legiones eximium principem fuisse, & indè suomet fastu concidisse arbitrentur. Cum igitur notissima sit omnibus, Isaia præcone, diuina illa vox, Ad quem autem respiciam, nisi ad pauperculum, & contritum spiritu, & trementem sermones meos? quid mirum est, si sedentem supra se, & quiescentem Deum habere non potuit is, qui subesse nolens, illum scientia elatus excussit? Quocirca illud Cherub, dum vt sapiens iactari vult & vt puer esse contemnit, infirmiorem infantulo sapientiam, perenni supplicio trahit. Quis enim

est

eſt adeo hebes, qui à ſapientiſſimo Salomone auguſtiſſimum Hieroſolymorum templum, orbis terræ ſingulare miraculum, architectante Deo, ita ornatum eſſe ſuſpicetur, vt nullo, aut incerto conſilio, vndequaque introrſum, tria in eo rerum genera, non minus opulenta materia, quam admirabili eſſent picturæ arte contexta, Cherubim, videlicet, cathenulas, ramoſque Palmarum? Cherubim, ſunt ſimulachra ſapientiæ, cathenulæ caritatis, palma victoriæ. vt omnes intelligant, ſapientiæ & ſpiritui, ſi ſimul loquantur, nihil eſſe quod poſſit obſiſtere. Eodem in templo, extra eam partem, quæ Sancta Sanctorum dicebatur, ad vtrumque latus, gemina erat appoſita aurea menſa: in altera, ad læuam, erant panes, qui propoſitionis nominabantur, in altera, ad dexteram, candelabrum aureum, ſeptemplici lampadum ordine, ardebat. Rerum cognitio, lautum eſt conuiuium, & dapes pretioſæ, ſed quid hoc tibi prodeſſe poteſt, niſi iugis in te luceat focus, quo talia concoquas? (Cibauit illum Dominus, inquit ſapiens, pane vitæ & intellectus) te, ſcilicet, intellectus enutrire, ſine vita vegetante non poteſt. Sapientia pabulum eſt animi, fateor, & auide quærendum, non abnuo, niſi tibi mortem vltro accerſere malis. Notum enim illud eſt, quod, dicam? ne canebat, an deplorabat regius vates? Om-

nem

nem eſcam, inquit, abominata eſt anima eorum, & appropinquauerunt vſque ad portas mortis. Sed & ſcio, quid ille idem, eodem, pſalmo, commemoret. Turbati ſunt, inquit, & moti ſunt ſicut ebrius, & omnis ſapientia eorum deuorata eſt. Sobrij nimirum, ſapientia eſſe debuerunt, & ebrij caritate. niſi forte, quod abſit, nos fefellit orbis terræ Doctor, cum nos monuit, Non plus ſapere, inquit, quam oportet ſapere, ſed ſapere ad ſobrietatem. Contra, in virgineo Epithalamio, Chriſti ſponſa lætatur, cum ait, Introduxit me rex in cellam vinariam, ordinauit in me caritatem: & cum, vna ex parte, apud ſapientem legamus: Labia ſacerdotis cuſtodiunt ſcientiam: ex altera tamen, cœleſtis ſponſus amores ſuos, hoc eſt Eccleſiam ſic affatur, Labia tua, vitta coccinea. Quia labia, ne nimis ſcientia diffluant, colligenda ſunt, & ne nimis exuberent, purpureo caritatis nexu vincienda. Ego enim ſic cenſeo (viri grauiſſimi) dubitari merito poſſe, maiórne, an minor rebus publicis pernicies importetur ſeſe odioſè iactantis propagine ſapientiæ, an ſterilitate doctrinæ. Quid enim non molitur agitatum caput, & quod (vt verbis vtar Apoſtoli) omni doctrinæ vento circumfertur: Illud eſt inſtar ramoſæ arboris, ad ventorum arbitrium vndequaque diſcuſſæ. Illud præ ſe fert luxuriantem, aura ventilante,

lante,

lante, cæſariem. Abſolonis capillus, Auroræ comis alias non indignus coniux, ſe ſe fatali maritat arbori. Erat excrementum illud naturę, atque aureum vellus adeo pretioſum, vt ſtato tempore, ouium more, detonſum ac venale fieret annui prouentus verriculum ad ſtatuendam ſibi, multarum in capite feminarum, non meliorem quidem vicariam ſedē, ſed tamen admirandam, quod nullis radicibus actis, in ea tamdiu viueret. Et ecce tibi, dum laſciuit ad blandientem ceruicem, dum fluctuat ad lambentes Zephyros, aeremque flagellat, dum media, parricidali bello, exultat in acie, dum aperto volitat campo nudum pro galea caput, pro criſta cæſaries, in aliam incurrit comam, arboris vltricis ramum. illic nobis laqueus inuoluitur, implicatur, innectitur, ſui carnifex domini, in patrem, in patriam, in Deum inſanientis. Illic funeſtum ad ſtipitem trophæum infandæ ambitionis appenditur. O quam tunc opportuna fuiſſet tonſoris manus! O quam tunc vili pretio veniſſent diuites illi rudentes, & retinacula ad tam miſerandi portum interitus expoſita! Minùs incommodè cum illis faminis quæ eius capillum adoptauerunt, actum fuiſſet, ſi eas ſub eadem arbore decurrere cōtigiſſet. ſiquidem illis præterlabentibus, ſola ſutilis coma ramo pendula, fugientium caluitium, ſaluū

qui-

quidem, sed parum sanum derisisset. Talis est igitur terminus æstuantis prauarum cogitationum fluctibus animi. Discere debuerat ab optimo parente, impius filius; Bonitatem, & disciplinam, & scientiam doce me. Sapientior multo, Iob ille, patientiæ Patriarcha, cum omnibus ab inuidiæ imperatore, & bonorum archipirata fortunis spoliatus, tonso capite in terram corruit. Intelligebat profectò, sapientiæ esse maximæ, summa animi demissione sese præpotentis Dei subijcere dexteræ, altissimis eius iudicijs giganteo bello non tentatis, ne forte scrutator maiestatis opprimeretur à gloria. Imò verò, incredibili magnitudine animi, sibi quoque repente vestimenta discindit, non secus ac si diceret, ne hoc quidem, ô Cacodæmon, quod reliquisti, retinere volo, rape omnia. O non minus insignem castigatæ sapientiæ, quam amantis patientiæ imaginem! Iste erat è numero earum, quas sibi diuinus elegit æternas sponsus ad nuptias, quarum cuilibet dicit, (Dentes tui sicut greges tonsarum; quæ ascenderunt de lauacro.) Nihil enim septa eius dentium exilijt, quod, quò non oporteret, vlla ex parte procurreret. In his omnibus nihil stultum locutus est Iob (inquiunt sacræ litteræ.) Cur ita quia tonso capite in terram corruit. Dentes tui, sicut greges tonsarum, quæ ascenderunt

de

de lauacro, omnes gemellis fœtibus: puta sapientiæ, & zeli. Hoc paulisper, Auditores, subsistamus ad balneum, vt dum attentionis vestræ aura, mihi, pro vestra singulari beneuolentia, fauet, fontis susurrum, molli mixtum ventulorum flabello, circum etiam motantibus nemorum folijs, orationem meam auribus vestris efficiat gratiorem. Quæ ascenderunt, inquit, de lauacro, non de magna mole aquarum, non de Oceano. Sapientia immensum quoddam est pelagus: suis omnia euertat, ac sternat eluuionibus, nisi oppositum ac definitum ad littus, effusas & iactatas eneruet, & frangat vndas. Deus huic se incommodo, imo terrarum stragi prouidisse testatur, cum ait ad Iob: Quis conclusit ostijs mare? &, Circumdedi illud terminis meis, & posui vectem & ostia & dixi, vsque huc venies, & non procedes amplius, & hic confringes tumentes fluctus tuos. Quot in Ecclesia, seculis omnibus, turbulentissimorum hominum superba ostentatione doctrinæ extitere procellæ! quot, & quam sæuæ tempestates! Vndanti scientiæ, certius est statuendus terminus. alioquin, inquit sapientiæ auctor, largitor, ac princeps, Perdam sapientiam sapientum, & prudentiam prudentium reprobabo. Bibula tellus, sensim infusum auidè sugit imbrem, & fruges parit, & educat. sic postquam de viro

iusto,

iusto, pronunciatum est à sapiente. Aqua sapientiæ salutaris potauit illum, hoc quoque additur, Et ipse, tanquam imbres emittet eloquia sapientiæ suæ. Quasi imbres, inquit, non autem quasi torrentem. E nubibus, veluti cribro, stillantur pluuiæ. Cribrari eloquia sapientiæ, antequam spargantur, oportet; vt nihil admixtum impuri habeant; & ne nimis largiter ac temere profusa, vastent & populentur vniuersa. Neque mihi verendum, ne quispiam veluti audacem hunc carpat translatum loquendi modum, quandoquidem ab eloquentiæ ac sapientiæ primo ac supremo fonte promanauit. Sic enim habes à Dauide aliquando cantatum; Posuit tenebras in circuitu latibulum, cribrans aquas de nubibus. Qui non ita, vt debet, diuinæ gloriæ, & communis hominum salutis causa, sapientiæ opes diuidit; Belidum, vt est in fabulis, apud inferos cruciatus mereretur. Euoluite temporum annales. Seculorum omnium hæretici, superbia turgidi, non aliter, quàm Scyllæ & Charybdis more, sua dogmata vomunt:

Dextrum Scylla latus, læuum implicata Charybdis
Obsidet, atque imo barathri ter gurgite vastos

Sorbet in abruptum fluctus, rursusque sub auras
Erigit alternos, & sidera verberat vnda.
At Scyllam cœcis cohibet spelunca latebris
Ora exertantem, & naueis in saxa trahentem.

Meminisse oportet(Auditores) vndè, & quomodo nata sit Venus: è spumeis nimirum ebullientis ponti vorticibus. Dum luxurians doctrinis animus vt inflatum mare audaciam effert, iusto Dei iudicio venerem despumat, & refundit in corpus. Mox claudo nubitur Vulcano: claudicare Fides incipit: Incalescunt coniuges: Disputatur: In fornacibus libidinis diuina liquescunt & soluuntur præcepta, & catholicæ veritates. In incude penè iam lassa, & quamuis effronte, tamen tot mendaciorum pudente; nouæ tunduntur & formantur hæreses. Hinc tot ferramenta calumniarum; hinc tot portentorum in libellis laruæ ac figuræ; hinc tot excusa somniorum monstra, quorum quia non minus in Deum, quam in homines, impios ac fraudulentos pudet auctores nomina tacent & incudis, & sua. Hoc vnum, inter alia, certo scitur; talia in officina Vulcani edita esse. Excudebant autem,

Brontesque, Steropesque, & nudus membra Pyracmon.

Mulierculæ cum viris, ignis examini (si Deo pla-

placet) ſubijcere volunt, & pura reddere Fidei dogmata, ſtygijs follibus aſpirantibus,& anhelante Cupidinis flamma. Excuſandæ, quia ſuorum miſertæ coniugum, illis, ne fortè tam graui curæ laborique ſuccumbant, opitulantur, & in ſe penſi partem operoſæ ſuſcipiunt: meliores hac in re, Venere, quæ intento operi marito Vulcano, raptas ex eius officina flammas, alienis toris flagitioſiſſimè importaret. Ex ea inflatione, de qua paulo ante dicebam, arrogantiſſimi animi, erumpunt illi ſonitus, quibus identidem Caluinus ſanctiſſimos æquè ſapientiſſimos Doctores Theologos, appellat aſinos. Scire cupitis quo dictante numine, iſta vox, aſinus, tam ſæpe ex eius non minus petulanti, quàm mendaci ore audiatur? Dicam breuiter. cum ſcilicet quatuor Euangeliſtis ſingula ſingulis animalia videret adiacere, ipſe, quintus Euãgeliſta, ſuum ſibi quoque adſciuit animal. quod? aſinum. Qualem è tali magiſtro diſciplinam ac ſcientiam ipſe, & eius ſectatores traxerint, cogitate. Teſtor Apoſtolum, huiuſmodi tabulas deplorantem, (*Vt denunciares, inquit, quibuſdam, ne aliter docerent, neque intenderent fabulis & genealogijs interminatis, quæ quæſtiones præſtant magis, quàm ædificationem Dei, quæ eſt in fide. Finis autem præcepti eſt caritas, de corde puro, & conſcientia bona, & fide non ficta, à quibus quidam*

aberrantes , conuersus sunt in vaniloquium, volentes esse legis doctores, non intelligentes neque quæ loquuntur, neque de quibus affirmant. & ibidem, *Hoc præceptum commendo tibi Timothee, secundum præcedentes in te prophetias, vt milites in illis bonam malitiam, HABENS FIDEM, ET BONAM CONSCIENTIAM, QVAM QVIDAM REPELLENTES CIRCA EIDEM NAVFRAGAVERVNT.*) Animaduertistis ex his verbis (viri prudentissimi) prudentissimorum hominum in fide naufragium. Vnde tam infelix exitus? quia elati & rotati insanientis sapientiæ typho, & suæ fidentes pertinaciæ, BONAM CONSCIENTIAM REPVLERVNT, & instar torrentis, nullis coerciti repagulis, & vsquequaque præcipitantis, secum raptare omnia, & Ecclesiæ Catholicæ arcem euertere tentant ac moliuntur. Sed ad hanc rupem allisi franguntur impetus, machinæ dissultant, & conatus omnes eluduntur. Quamobrem ne procelloso in æquore, gloriosæ atque importunæ te tuæ sapientiæ æstus abripiat, ac sorbeat, cape terram: alterum pedem marinis (quia ita necesse est) in fluctibus tinge, alterum fige in littore. Admirabile sanè (Auditores) visum, sese aliquando carissimi Christi discipuli oculis obiecit, vt ipsemet in sua narrat Apocalypsi

pocalypsi, Angelus nimirum gemino, columnarum instar, insistens pede, quorum alter ponto incumberet, terræ alter innixus, fulciretur. Nonne apertè videtis, vna ex parte, Zeli diuini constantiam, & Catholicæ Fidei firmitatem, ex altera vero, sapientiæ amplitudinem fluctuantis? Væ vno stanti pede. quàm facilè deijcitur! Mihi non credis? crede regio vati, Non veniat, inquit, mihi pes superbiæ. Cur pedem superbiæ, & non pedes dixit? quia superbus vno tantum nititur pede; semper pronus ad lapsum; semper lapsurus ad ruinam. Sed quoniam Veneris, atque Cupidinis paulò ante mentionem fecimus; ne, quæso, à vaticinantis Doctoris gentium monitis saluberrimis discedamus, (Non enim sumus, inquit, sicut plurimi, adulterantes verbum Dei: sed ex sinceritate, sed sicut ex Deo, coram Deo in Christo loquimur.) O præclaram metaphoram, & id, de quo agimus, suis delineantem coloribus! Quemadmodum enim adulter non liberos quærit, sed voluptatem, sic qui neglecta hominum, quos Deo & cœlo generare deberent salute, suum ipsi honorem, diuitias, & corporis delicias, studijs, laboribus, & venali scientia aucupantur, profectò sapientiam, Dei verbum adulterantur. Rursus, quandoquidem Venerem æstuantis pelagi spumæ, & tumentem doctrinam,

concitato æquori comparauimus, operæ pretium est, vt id alterius Apostoli, hoc est, Thadei seu Iudæ grauissimo iudicio comprobemus. Hæc sunt: igitur eius epistolæ verba; (*Subintroierunt enim, inquit, quidam homines, qui olim, præscripti sunt in hoc iudicium, impij, Dei nostri gratiam transferentes in luxuriam, & solum dominatorem, & dominum nostrum Iesum Christum negantes.* Et paulò post, *Similiter & hi carnem quidem maculant, dominationem autem spernunt, maiestatem autem blasphemant.* Et rursus, *At sunt in epulis maculæ, conuiuantes sine timore, semetipsos pascentes, nubes sine aqua, quæ à ventis circumferuntur, arbores autumnales, infructuosæ, bis mortuæ, eradicatæ, fluctus feri maris, despumantes suas confusiones, sidera errantia, quibus procella tenebrarum seruata est in æternum*) Quid verius dici potuit? quid melius exprimi? Sed ne postrema eius verba, quibus hæreticos, & eorum imitatores, & eos qui inanis sapientiæ pompam circumducunt, siderum instar errantium esse affirmat, excidere sinam, illa me cōmouent eius, quod penè iam memoriam fugerat, nimirum in cœlo stellato, in quo innumeræ collucent faces, ignesque flammescunt suam inesse Zonam, qua Illa omnia naturę ornamenta componantur, & vinciantur. At, quot etiam in Zodiacum sese

mon-

monſtra intruſerunt! Illic videas leones, vrſos, ſcorpios, & alia huiuſmodi: ſed ne time, tutæ ſunt ſedes, quia illi communi cathena coercentur. Sic & intellectus doctrinarum luminibus diſtincti ſinubus, nonnullæ plerumque chimeræ intercurrere conantur: ſed ſapienti zelo vigilante, & caritatis aſtrictus vinculis, nihil erit quod magnopere debeas formidare. Hoc te quoque docet ſummi quondam Hebræorum ſacerdotis ſuperior cœrulea veſtis pulcherrima, eiuſque Zona, & ephod, pectoris tegumentum, ditiſſimis ardens miro ordine gemmis. Hæc cibi cœlum eiuſque faſces, & ſidera repræſentant. Quapropter cum ſine ſpiritus ardore, ſapientia non ſolum nullas habeat vires, ad ſalutem, ſed & perniciofiſſima eſſe ſoleat, Apoſtoli conſilium audiamus; Galeam, inquit, ſalutis aſſumite, & gladium ſpiritus, quod eſt verbum Dei. galeam capitis, ſapientiæ ac Fidei crediderim dici poſſe munimentum: quid vero ſit gladius ſpiritus, habes expreſſum, ſcilicet verbum Dei, verbo quippe Dei, ille ſalutaris zelus, illa vis, illa potentia in voluntate concitatur. Sermo enim Dei viuus & efficax, penetrabilior omni gladio ancipiti. Quare quemadmodum ſine gladio, galea nihil in prælio prodeſt, ita neque ſine ſpiritu ſapientia, neque ſine charitate fides ſufficere

poteſt Eccleſiæ militanti. Atque illud fortaſſe videtur eſſe, quod nobis ſacræ paginæ, religioſiſſimi, & omnium quotquot in Iudæa fuerunt, præſtantiſſimi principis exemplo quodam adumbrarunt. cum enim ille aliquando errare profugus, & innocens cogeretur, factum eſt, vt fame propemodum enectus, ad Abimelech ſacerdotem confugeret, & panem poſceret, negat ille ſe prophanum habere: hic ſacros ſibi dari poſſe humaniter contendit, neceſſitas obtinet. Non propter ſabbatum homo, ſed propter hominem Sabbatum, inquit Chriſtus. Sic tunc dici poterat, non panis cauſa, homo, ſed hominis cauſa, Deo eſt panis ſacer propoſitus. Ergo vires Dauid ſumpto reficit cibo. Videamus reliqua. Gladium poſcit, non alium habeo, inquit ſacerdos, niſi eum quo tu inſolentem ac barbarum gigantem obtruncaſti. Illic eſt in trophæum pendens. Sanè, reſpondet Dux generoſus, porrige ſodes: non alia animoſior machæra, non enſis bellator fortior. Non minus ſingularia ſunt iſta, Auditores, quàm vtilia documenta. Paſtus es ſapientia? maius ac melius dicam: ad altare, diuino es ferculo, & cœleſti pane, hoc eſt, ſacroſancto Chriſti corpore ſaginatus? prodiſti. O dulces, ô vitales, ô beatæ epulæ, deliciæque! Sed quid tum poſtea? ſiccine ſtabis? nihil adgredieris? nihil ages? ea Chriſti-

ane, ſurge, arripe gladium in temetipſum, hoc eſt tua ipſe vitia reſeca. Quid feſtucam in fratris oculo contueris, trabem non aduertis in tuo? circumſpicite teipſum. Iam ſecuris eſt ad radicem. Non audis Chriſti verba loquentis? Si oculus tuus ſcandalizat te, erue eum, & proijce abs te. &, ſi pes tuus ſcãdalizat te, abſcinde eum. & proijce abs te. Allegoricus eſt ſermo. latentem Allegoriæ cortice erue veritatem: contine pedes: comprime linguam: coerce oculos: ad aurum oſtium cuſtodes adpone: ſit mens in ſpecula, excubias agat, animi arcem tueatur. hos ego appello gladios. Non hîc opus eſt ferro, nõ chalibe, non telis, non lorica, non galea, non clypeo. Intuere hodiernum præſtantiſſimum militem protomartyrem, quibus inſtructus armis, qua roboratus arte deuincat. Sat eſt, ſi te in hoc domeſtico tuo bello, ſapientia armet, & diuini numinis ardor inflammet. Vero Dauidis facto, ſomnium conferamus, cuiuſdam legionarij, in Gedeonis quondam exercitu militantis. Videre ſibi videbatur panem, Madianitarum caſtra ſubuertentem. Euigilans, narrat alteri viſum: tum alter, non eſt hic aliud, inquit, niſi gladius Gedeonis. O nouum & inauditum, qui ſimul eſt panis! ô Chriſti domini corpus, panem vnicum ac ſingularem, qui ſimul eſt gladius. Hic ille panis ſapientiæ

& ſpiritus, intellectus & vitæ, nutrimenti & robor s. Non eſt, non eſt hic aliud, niſi gladius, non dico Gedeonis, ſed Chriſti. Ede vt nutriaris, nutrire vt viuas, viue vt tecum ipſe contra tua vitia certes, certa vt vincas, vince vt magnificè de te ipſo tandem aliquãdo triumphes. Sed vt è caſtris, ad templum redeamus, in illa fæderis arca, quam Moſes diuino fabricarat imperio, quæque poſtmodum à Salomone rege in Sancta Sanctorum collocata eſt, legis tabulas & virgam Aaronis incluſam & aſſeruatam fuiſſe ſacræ paginæ monumenta teſtantur. Quid hic pluribus opus eſt verbis? ſeſe ſcientia pandit in tabulis, cenſoriæ vero in temetipſum animaduerſionis typus in virga. quid te alterum, ſine altero iuuat? Erat in illo quoque tabernaculo, Manna ſociatum virgæ. Dulce pabulum ſapientia, ſed non niſi Regum ac Paſtorum virga propinante. Erigit Moſes legislator, ac populi rector, virga in ſitienti turbæ, ſilex venæ pulſu fontem iaculatur. Hoc ſapere eſt, & ſuauiter bibere, Principum ſubijci virgæ, & viuere. Diſce hoc ipſum à rege, ſuperiori obtemperante regi, Virga, inquit, tua & baculus tuus ipſa me conſolata ſunt. Quid inde boni? plurimum: quia ſtatim ſubdit, Paraſti in conſpectu meo menſam, aduerſus eos qui tribulant me. Agnoſce igitur in Dauide, bonitatem

ouicu

ouiculæ, sui principis dextera & sceptro bea tæ. nisi fortè oblitus es, non minus animi, quàm corporis pulchritudine, ad miraculum, præcellentis reginæ Esther, admisso ad sapientissimum caput, regiæ sui coniugis virgæ attactu, sibi suisque salutem consecutæ. Obsequere, ac te mancipa Deo, iisque qui ius in te habent imperij Itaque sapientia, mel suauissimum est gutturi: quis negetꝫ sed illud, instar Ionathæ, virga debes legere, Sed quid diutius, allecto sapientiæ dulcedine, blandimur gustui, nobiliori vero sensui oculorum, lumine & coloribus, non etiam lenocinamur? Res est, Auditores, sine vlla dubitatione præclara ingenium varijs doctrinarum quasi depictum coloribus, & rerum cognitione illuminatum: sed nisi se, voluntate motrice, ad hominis proprias actiones inflectat, nihil aliud esse videbitur, nisi lumen emortuum, hebes, & languidus color, & speciosæ breue fulgetrum vanitatis. Si fas est historijs fabulas, & sacra prophanis intexere, ne poetæ quidem ipsi solem radijs omnia collustrantem, eundemque Phœbum Apollinem, arcu & sagittis viduatum esse permiserunt, Profana & fabulosa mittamus. Cum in Pathmon insulam, Christi causa, Euangelistarum princeps in exilium esset eiectus, cum sæpe quāplurima, tum

aliquando Angeli humeros & caput Iride circumfusum pulcherrima vidit. Quid tibi decor Iridis, nisi doctrinarum splendorem, quid tibi sinuati colores in arcum, nisi debitum erga te zelum, & vim in te coarguendo & castigando protendunt? Sit arcus iste tuus, ergà alios signum fœderis & amoris, ergà te verò, instrumentum zeli, quo te ipse subigas. nam idcircò illum non manu, sed humeris gestas. Hoc sapere est, & non sine zelo. Sic Deus Iridem depinxit in nubibus: sic illam in cœlum intorsit, in homines verò in immensum fornicem arcuauit & expandit, quo illos protegat, & benignè tueatur. Sic olim exacto diluuio, statim cum magno Patriarcha superstite pepigit. Sed heu! Sic inflexa in cælum Iris, dum pacem spondebat hominibus, bellum Deo indicere quodammodo videbatur. Ecce siquidem Verbum Dei, humana indutum carne, conspicuo distentum in arcu, & rigida librarum in cruce. at summo bono nostro. inde namque sagittas iaculatur amoris, inde in nos sua omnia dona profundit. Quare, si te sapere credis, officiosus & pius in alios, arcum in teipsum conuerte, frange cupiditates ipse tuas, extingue libidinem, deijce fastum, disrumpe tumorem, gulam profliga, occupa fauces ventris gurgiti, meliore annona, conuoca cogitationum senatum ante iram, præmitte li-

ctores ad insolens perturbationum animi
vulgus: ne fortè tu nobis, non arcum cœle-
stem, sed Pauonicæ instar caudæ, conditam
euoluas, & explices, & identidem rotatam
tuam illam oculatam sapientiam importu-
nus ostentes. Reconde tuas istas plumeas
opes, despice pedes tuos, & alas, & vocem:
illos ad cursum, has ad volatum torpentes
ac pigras, istam denique auribus hominum
tormentum domesticum. Non talia fuere
animantia, quæ vates Ezechiel magna cum
admiratione cernebat. Oculata quidem erant
omni ex parte, sed non abiecta, non strata,
non feriata: sed ad currum iugata rapidum,
& quà & quò ferretur impetus, ruentem as-
siduè, & nunquam suspenso sistentem gradu.
Cur ita? quia, inquit Propheta, spiritus vitæ
erat in rotis. O beata illa sapientiæ lumina!
ô feliciter in oculis viuax & scintillans acies,
cum sese in vobis inserit, implicat, immiscet,
& agitat diuini spiritus efficacitas, vndè vi-
gor, vndè motus, vndè in eximia, & viro di-
gna Christiano facinora, perennis impulsus:
donec, Eliæ instar, curru flammeo, via sa-
cratiore, quàm olim Romana, in cœlestem
arcem, in illud, non minus iustorum homi-
num, quam doctorum domicilium, æterni
Numinis auriga virtute, conuehamur. At
enimuero & hæc ipsa sedes, & cœlestes, de
quibus loquimur, orbes, in quos nunc inau-

guramur aſcenſum, nobis illuc aliquando perueniendi rationem modumque commonſtrant. Quid enim magnificentius eſſe poteſt, quam cœlum illud, quod Aſtrologi Firmamentum nominant, infinitis propè ſideribus, quaſi radiantibus gemmis, diſtinctum, & fulgidum: Sed quid hoc ſubiectis prodeſſet elementis, quid inde rerum naturæ vtilitatis efflueret, niſi circa Mundi cardines, primi Mobilis perpetua volubilitate, & incredibili celeritate raptũ & conuerſum, ſuas vbique, & vſquequaque aperiret, & panderet, & funderet opes? Idem dico de ceteris erraticis bus ſtellis. Primum Mobile cæcum eſt: at vos inferiores oculati cœli. Vos lucem diuiditis & ſpargitis, at motum tenebroſo è corpore trahitis. Mutua iſta officia nòs alunt, vos ornant, nos tutantur, vos honorant, nos recreant, vos iucundo fœdere beant, Quorſum hæc commemoro? nimium id iam probè per vos ipſos agnoſcitis (Auditores.) Eſt quippe lumen in mente, motus in voluntate: ex intellectu lux prodit, è voluntate ſurgit imperium: mens lumen infert voluntati, menti voluntas, & ceteris facultatibus impetum imprimit, ad actiones honeſtas inchoandas, ad exequendas robur inſpirat, fundat ad perficiendas, omni ex parte, conſtantiam. Et tum demum de communicatis iſtis vtrinque, mutuo concordiæ

vincu-

vinculo, mentis & voluntatis muneribus, multo potiori ratione, ad mysticæ concentum Cytharæ, vocem effert regius Psaltes; Cœli enarrant gloriam Dei, & opera manuum eius annunciat firmamentum. Et Deus ipse meritò repetat, id quod olim Iob, luctatorem egregium, interrogauit, Concentum, inquit, cælorum dormire quis faciet? At te ô sol luminum rector, & siderum sidus, dum vt gigas exultans, anni circulo, per duodecim signa percurris, obuium fieri scimus Virgini, leonem inter & libram constitutæ, Palladi fortasse, quæ tamen stulta sit, nisi habeat, hinc iustitiæ libram, ad æquitatem, inde leonis fortitudinem, ad optatam in superandis difficultatibus victoriam comparandam. Sed iam, vt sentio, ad tam diuturnum tot luminum aspectum, meorum acies oculorum nimium verberata retunditur, & hebescit. quin etiam tot ardores ac flammæ sitim in me videntur accendere. Ad vndas igitur, à quibus non exiguo tempore abscessit, nostra sese recipiat oratio. Adde quod & solis viarum insolens, Icari casum metuo. Malo sponte, lentè, & tutò, vertere ad Oceanum gressus, quàm illuc temerarius præcipitari. Quamobrem ad te, Oceane, ô profundæ sapientiæ simulachrum, me conuerto. Iãdiu profectò malè quoque tecũ ageretur, iamdiu tuę pu-

putreſcerent vndæ, iamdiu, dormientium inſtar lacunarum, peſtilentum efflares halitum, niſi tibi etiam, teſte Philoſophorum principe, primi Mobilis ab ortu in occaſum motus, occulta virtute, aliquo modo communicaretur, niſi te ſal mordax caſtigaret ac temperaret, niſi vigiles Eurique, Zephyrique, Aquilones, & Auſtri, alternis excitatum flatibus quieſcere non paterentur, niſi te Euripi agitarent, niſi naues ac triremes, auaritia oneratæ, tua dorſa fatigarent, niſi te turgida ambitione vela prædicarent, niſi denique animati ſpe improba remi, tuos fluctus increpitos, & cupiditati hominum nunquam ſatis ſupinos, aſſiduè flagellarent. Hinc ſapientiam (quanquam meliori labore, & nobiliori merce) manifeſtum eſt nec torpere nec otiari vnquam oportere, ne tandem aliquando corrumpatur.

Sed ſatis ſit. Figamus hic anchoram: ſiſtamus in littore. Etenim vereor (viri ſapientiſſimi) ne dum de ſapientia diſputo, orationem meam longius quam par eſt peruagatam, inſipientem eſſe iudiceris. Proh Deum immortalem! quid video? quò quò furentes ruunt Hieroſolymorum cunei? Stat media in arena bellator inuictus, Martyrum primus, inter armatas perfidia legiones. Sapientiam pugnantis attendite, dum præclaram illam habet concionem, Viri, inquit, fratres

&pa-

&patres, audite, Deus gloriæ apparuit, & quæ sequuntur. Animatum æterno numine pectus agnoscite, dum tandem in illa verba prorumpit, Dura ceruice & incircuncisis cordibus, vôs semper Spiritui sancto restitistis. Itur ad saxa, licet illis minus dura ceruicibus, itur, inquam, ad saxa, vt quoniam teneræ stirpes ferro putatæ succrescunt, grandine cæsæ succumbunt, & siccantur, sic prima Ecclesiæ germina, quæ gladijs violari non possunt, non ante visa lapidum tempestate fulminentur. Sed ille mel de petra sugit, oleumque de saxo durissimo. lapides, quippe, torrentis (vt in eius laudem cantat Ecclesia) illi dulces fuerunt. Nunquam olim lacerato, virgæ vulnere, rupis vtero, tam auide tumultuantes Israelitarum greges potauerunt. lapides istos lactet; inde trahit humorem ad meritorum incrementum, & vegetiorem vitam, ad maturum proximæ gloriæ fructum. Nunquam aura verna matutina, roscidos & suaueolentes, hortulos mollius irrorauit. Nunquàm tàm delicatum Manna Arabicæ quondam nubes in eos ipsos pluere potuerunt, qui nunc ingrati Struthiones, illud in saxa digestum, retorquent in æthera, vnde manauit. Lapis est Libycus, Aristotele teste, qui & vndas iacit, & flammas. Isti sunt lapides, è quibus magnanimus Mar-

tyr

tyr & calefcit, & bibit. Itur ad ſaxa, quæ veluti baliſtis arietent arcem: quæ quoniam fundata eſt ſupra firmam petram, nec vllis quaſſari tormentis poteſt, nec machinis commoueri. Itur ad ſaxa, quæ ad pugnatoris acerrimi, & vel ſuo iam nomine victoris egregij coronam affixa, radios ſplendoremque vomant vndique, ad gemmarum omnium inuidiam. Valete Vniones: valete Ammethiſti, Betilli, Topaſij, cæterique Indici lapides, quos ſola inutilis raritas fecit ambitioſo pretio quæſtuoſos. Hæc, hæc ſpectanda eſt, & admiranda corona. Nunquàm Oriens tam benè in regum & imperatorum diademata grandinauit. Hebræe perfide, ſi tibi vna non ſufficit, vtramque manum arma, alteram enſe, lapide alteram, repente flectetur enſis in coronam, & lapis vertetur in Adamantem. Itur ad ſaxa, lapidum nimbi ruentium, Martyrem circumfundunt, vt ex illis extructo aggere, tanquam ex editiore loco ille præliari poſſit valentiùs, & tutiùs vincere. Itur ad ſaxa, vt quoniam regnum cœlorum vim patiatur, & violenti rapiunt illud nouus iſte Chriſtiani exercitus, inter cæteros, ductor, Ieroſolyma pulſus alterius melioris Hieruſalem obſidione ſuſcepta, ſaxorum turbine eius perrumpat portas, & valuas effringat. Itur ad ſaxa, vt ex illis, iuxta veteris præſcri-

ptum legis, nullo vulneratis ferro, erigatur altare, in quo felix hostia semetipsam Deo sistat & immolet. Positis autem genibus, clamauit voce magna, Domine ne statuas illis hoc peccatum. Non deiectus Athleta procumbit in genua; sed caritate percitus, generosam pronus ad veniam, sese conuertit ad vota. Tandem composito in strato illo aceruo, ad sacrificium corpore, beata victima sponte recumbit. Summus olim patriarcha, fratris ira profugus, qui cum misero iure lentis, primogeniti iura vorauerat, cum in itinere ad vesperam, hortante somno, subiecto capiti lapide, quieuisset, scalam vidit ad cœlum vsque porrectam, per quam Angeli alterno ascensu ac descensu, vltro, citroque discurrerent. At Stephanus, consceleratorum Synagogæ fratrũ cõiuratione, qui iã in fame ac siti rabida, Christo interfecto, eiusque hausto sanguine, iura omnia & priuilegia perdiderãt, in fanda vrbe pulsus, & extorris, & in lapidum struẽ quieturus, nõ scalas, nõ gradus in somnis videt, sed reuulsis vndequaq; cœli repagulis, patefacta diuinæ Regiæ atria vigil suspicit, vbi Imperatorẽ ipse suũ, surgentem ad spectaculum, stantem ad auxilium incredibili exultans gaudio, contuetur. Video, inquit, cœlos apertos, & filium hominis stantem à dextris virtutis Dei. Cœlestes incolæ de-

deorſum æmula celeritate, decurrerent, ad tam glorioſi certaminis aſpectum, niſi martyris ardua virtus in immenſum conſpicua cœli, terræque oculis ingrueret, illoſq; compleret. Domine Ieſu, ſuſcipe ſpiritum meũ. O ſpiritum incontaminatum, & non minus coruſcum ſapientia, quam caritate tonantem, erumpe tandem, conuola in tuam ſedem, contuſo iam lapidum, veluti malleorum ictibus, & effracto corpore, tanquam vaſe, vnde ſeſe in omnes mundi partes ſpiratus vitalis odor effundat. O fragrans, & ad hæc vſque tempora, & in æternum, odor! Procul hinc Syria Balſama, ſudate alibi Arabes, nuſquam vlla meſſis aromatum tam ſuauiter aſpirauit. Clamauit itaque, voce magna. Iam cadit victima: odoramentorum nubes glomerantur in cœlum. Domine Ieſu ſuſcipe ſpiritum meum. Mactatur hoſtia: theſaurus è vaſe fictili aperitur: vas inſigne diſſoluitur, & ſpiritus ante incluſus, iam ſolis inſtar, omnium oculis liber eniteſcit. Magna martyr voce clamauit. Ad eius clamorem, cœleſtia cadunt mœnia, portæque panduntur. quemadmodum olim Ioſue fortiſſimi ducis imperio, dum vaſa mutuo à militibus colliſa, & rupta diſſiliunt, latens in illis, ſtatim proditur lumen, & ad clangorem tubarum attoniti Ierichuntinæ obſeſſæ vrbis muri ac turres corruerunt. In cœlo

non iam via tantum lactea, ſed ſanguinea cernitur. Stephanus illam Protomartyr virgineo cruoris nobiliſſimi rubore ſuffudit. O beate cruor, qui primus ſuperum domiciliorum limina, atria, ſedeſque purpuraſti! Iam ſui credo ſidera luminis pudet: illud iſto mallent imbuere ſucco. Iſtum iam terra ſitit humorem. tali colori æmulæ inuident roſo. At vos, ſurgite conchæ Tyriæ, aperite ſinum, ſi fortè nunc, meliore cœlo, iſtius in vos guttulæ imbris incurrant. O vos ditiores, ſi tali grauidum liquore vterum duceretis! nunquam ouium niues in tam pretioſo murice dormierunt, nunquam imperatoriæ veſtes, tam flammanti oſtro fulgurarunt. Domine Ieſu, ſuſcipe ſpiritum meum. & cum hoc dixiſſet, obdormiuit in domino.

ORATIO XX.

In die octauo Natalis eiusdem sancti Protomartyris. Patauij anno 1599.

ACTIO SECVNDA.

SPIRITVS NON SINE *sapientia.*

ANimaduerto (viri nobilissimi) vestrum omnium ora, octidui expectatione, in me esse conuersa. Sed mea mihi quoque est, hodierna die, conuertenda oratio. Cum enim Actione præterita DE SAPIENTIA NON SINE SPIRITV, vt potui, dixerim; nunc contra, mihi est DE SPIRITV NON SINE SAPIENTIA disputandum. Par ouus ei quod nuper sustinere non potui, meis humeris imponitur. Subeundum tamen est, vt vt ferri potest: ne si aut timore, cuius iustam habeo causam, aut debiti ignoratione, quam in me esse nollem, à vestra voluntate discessero, vos in me spiritus parũ, sapientiæ penè nihil esse iudicetis. Quamquam profectò in ista mentis suarum consciæ virium ancipiti cura, præstãtissimi

ſimi Protomartyris ſpectaculo, ita me affici ſentio, vt & eius ſapientiæ lux alliciat ad loquendum, & animi magnitudo impellat ad audiendum. Vos autē ea eſtis prudentia, Auditores, vt nec rei, qua de agitur, metiendam putetis exiguis viribus meis, amplitudinem, nec ea, quæ in me nulla eſt, eloquentia perpēdere veritatem. Quocirca in theatrum redeamus. In grauiſſima illa, quæ in Actis Apoſtolorum narratur, hiſtoria, facilè perſpicere poteſtis, quanta miles iſte ac dux Chriſtianæ Religionis propugnator acerrimus, ſpiritum ſapientia temperarit. In eo ſiquidē, non minus patienti, quam ſapienti ſermone, quē habuit coram infenſiſſimis, ac pertinaciſſimis Chriſti hoſtibus, quid contumelioſum, quid acerbum, quid durum auditis? Impoſito tandem concioni fine, vita quidem ex parte, in pauca tantum verba, diuini numinis zelo cōcutiente, prorumpit, Dura ceruice, & incircumciſis cordibus, vos ſemper Spiritui ſancto reſtitiſtis: ſed ex altera parte, quid ſtatim cogitarit, dixerit, egerit, precor, attendite. Poſitis autē genibus, clamauit voce magna, Domine, ne ſtatuas illis hoc peccatum. O intercurrētem in feruenti ſpiritu lenitatem! Enimverò & illud quoque permirum eſt, & præcipua animadiuerſione digniſſimum, quod magna voce clamaſſe dicitur, cum ſæuiſſimis illis veniam carnificibus à Deo poſtularet, non

autem,

autem, cum eos increparet ac diceret, Dura ceruice, & incircuncisis cordibus. Intelligebat quo spiritu ageretur. non eo, scilicet, quo compulsi quidam Christi discipuli, hoc est, Iacobus & Ioannes, cernere cupiebant Samaritanorum ciuitatem, quæ Christum recipere noluerat, vibratis de cœlo ignibus deflagrantem. Quid mirum, si duo illi fratres, atque Apostoli, quos filios tonitrui Christus nominauerat, fulmina meditarentur? Nondum amicæ ac fœcundæ nubes, imbrem voluntarium & hæreditati segregatum, die sancto Pentecostes, in eorum corda decusserant, qui ebullientem spiritum illum, quantum oportet, refrigeraret: nondum quoque dispertitas, erant in eorum capita iaculatæ linguas, geminam scilicet furcatas in cuspidem, sapientiæ alteram, alteram zeli. At verò illa Christi vox, qua efflaturus animam, cum clamore valido & lacrymis (vt loquitur Apostolus) inimicis veniam à Patre deprecabatur, ex huius magnanimi Protomartyris ore, tanquam ex Echo resonabat, dum & ipse quoque, voce magna clamaret, Domine, ne statuas illis hoc peccatum. Illa, inquam, Christi vox fuit, quæ ita Centurionis animum perculit, vt non minori amore saucius, quam horrere concussus, ea statim verba grandi singultu fregerit, Verè filius Dei erat iste. Non secus ac si dice-

diceret, Vale fabulose Iuppiter: non tu, non tu, qui tuos in hostes trisulca intorques iacula, sed hic verè Deus, Dei filius, qui suspensa dextera, & cohibito fulmine, non solum flagitiosissimis ignoscit parricidis, verum etiam illis (ô rem inauditam!) facit suis ipse vulneribus, & sanguine medicinam. Quidni proinde miles suum imitatus imperatorem, fidenter ac securè commendet eum in morte spiritum, qui licet zelo æstuans, tamen tàm facile, tàm grauem iniuriam hostibus condonauit? Sed vt ad me redeam, & ne forte, quæ vix è littore soluit imprudenti spiritu percita, in incertum rapiatur oratio mea, oportet vt in tam vasto æquore certum teneat cursum, ne aut pleniore, aut dubio impulsa vento, omni sapientiæ gubernaculo destituta videatur. Principio, Amorem poetæ cæcum, nudum, & arcu tamen, sagittisque minacem esse finxerunt. Non ignoro equidem, in quam illi, vt pote ingeniosi ad mores, protulerint ista sententiam. Sed si rerum naturam rimari & introspicere velimus, sine dubio, vniuersè cæcam, per seipsam, fatebimur esse voluntatem. Si cæca est, quid aliter quàm nuda esse queat? nam vnde oculis orbata, sibi habeat vestes & ornamenta, nisi aliunde suppeditentur? Rursus, cum ab illa sit motus & impetus, quonam, obsecro, arcum inten-

 det?

det? quonam cæca collimabit? Væ adstanti, væ obuiam venienti, væ coram prætereunti. Huc, huc ades, ô mens, fax animi, sol hominis, radius diuinitatis. Præfer diem tenebris, prouide nuditati, præside hnmanis actibus, operibusque! Nunquàmne vidistis, Auditores, cæcum ambulantem, oculati claudi sarcina gubernatrice? Sic, ne voluntas ambigua vagetur, & erret, ne malè incurrat, & impingat, ne labatur ac præcipitet, necesse est superior illi facultas intellectiua insideat, ductu, & fræno. Rem totam & similitudinibus illustrare cuperem, & testimonijs stabilire. Meministis, opinor, cœlum stellatum, vt superiori Oratione disserebam, alieno, & adscito primi mobilis citatissimo, ab ortu in occasum raptu cieri. At nunc contrà, Dico, alium illi proprium inhærere motum, tàm lentum tardaque ab occasu in ortum conuersione prorepentem, vt si Alphonso regi, Astrologo doctissimo credimus, non nisi 49000. annorum, si alijs Mathematicis, 36000. spatio confici possit. Equidem in hac pulcherrima Firmamenti, (vt eorum vocabulo vtar) facie, qualem esse oporteat mentis, aliquid molientis, agitationem, spectare, & discere nos posse arbitror. Nam vt voluntas ad varios prona sit impetus, tamen intellectiua vis, non nisi gra-

graui & maturo consilio, & perpensis vtrinque, diuturna disquisitione, rationum momentis, ab appetitu flecti debet, sed potius illi, cum opus est, in oppositam partem reluctari, & tùm demùm, suus erit vtrique hominis parti motus, ad debitam rationis normam, & pondera mensuratus. Si te tamen amici studentem bono, illique succurrentem interdum, præ celeritate, labi contigerit, dulcis casus, si ex amore celeritas fuerit, & lapsus in amore. Sic bonus pater Euangelicus ad filium prodigum resipiscentem, & reuertentem, valde citato gradu accurrens, cecidit super collum eius. Sane vero quemadmodum nũquã progredi ad opus, nec id exequi, quod rationis præscribit imperiũ, maximum infert rebus omnibus tum priuatis, tum publicis detrimentum, sic contrà, ad primã & fugientem mentis coruscationem agi, & quolibet ferri, nõ minus est leuissimi animi argumentum, quàm certissimæ ruinæ præsagiũ. Hinc est, quod sapientissimus huius rerum vniuersitatis architectus, qui omnia in pondere, numero, & mensura effecit, atque composuit, dum amicum Iob suauissimo colloquio, proposita rerum procreatarum contemplatione, consolatur, ait. Qui fecit ventis pondus: &, Nunquid mittes fulgura, & ibunt, & reuertentia, dicent tibi,

Adſumus? Quorſum hæc, & alia huiuſce modi commemorat Deus? manifeſtum eſt, obducta eſſe arcana talibus ſententiarum inuolucris. Hæc (vt breuiter expediam) in animos transferte, quantumlibet æthereis incaleſcant ignibus, & diuino imperio ſolicitentur. Temperie ſemper, & frænis indigent. Quamobrem alta præditus mente regius cantor, ac vates, dicebat. (Qui ambulat ſuper pennas ventorum) Hic plane nouus eſt, & inuſitatus loquendi modus. Maxima eſt enim per ſe ventorum pernicitas, & his tamen addit etiam pennas. Sed ne time, ſuper illas ambulat Deus. ſapientia moderatrix, ſuper celerrimi, & impatientis alas amoris, graui & ponderato paſſu incedit. Et quidem id perneceſſarium eſt. Quid enim Boreali vento terrificum magis? ſternere ſegetes, ſtirpes euellere, confringere quercus, ſuperba ſiluarum capita contruncare, euertere turres, armenta raptare, Deus immortalis! cœlum ipſum contremiſceret ac penè rueret, niſi naturæ Rex ſublimis ſedens, habenas teneret, regeret, ac moderaretur. Hanc vel ipſi poetæ voluerunt fabulis prætendere veritatem.

celſa ſedet Aeolus arce,
Sceptra tenens, molliſque animos, & temperat iras.

Ni

Ni faciat, maria, & terras, cœlumque profundum
Quippe ferant rapidi secum, verrantque per auras.

Sed quid sibi vult illud, (Nunquid mittes fulgura, & ibunt, & reuertentia, dicent tibi, adsumus?) Profectò si deiecta fulmina, statim reciproco flexu ac Meandro, sursum resilirent, leuiter admodum ferirent. Sic Deus illis erga nos vtitur. Nunquid enim, inquit Psalmographus, continebit in ira sua misericordias suas: & alio quodam Psalmo, Qui facis Angelos tuos, spiritus, & ministros tuos, ignem vrentem. hoc est, cui seruiunt venti, & fulmina, non tanquàm milites, ad bellum & stragem, sed tanquàm cœlestes nuncij, & caduceatores, ad pacem & salutem. Nimirum sapientis prouidentiæ est micanti Zelo, animoso veluti equo, & fundere habenas, & reuocare: nec minoris est vtilitatis & gloriæ, quàm prudentiæ & securitatis, si, præsertim qui ceteros regunt, pietatem & iustitiam ad currum triumphantis auctoritatis adiungant. Dulcis, quippe, & rectus dominus (inquit ille idem) propter hoc legem dabit delinquentibus in via. Neque me fallit pulcherrima quædam virgo, & sponsa in Cantico Canticorum, cum in hortulo deliciarum, rosas inter & lilia molliter accubans, sic voculam effert amore

languentem, Surge Aquilo, & veni Auster, perfla hortum meum, & fluent aromata. Aquilonis violentiæ ac frigori, leniorem Austri ac tepentem ſpiritum deſiderat immiſceri, ne ſi forte interdum, vt fert humana conditio, aliquantulum ægram eſſe contigerit, tàm ſalubri ventorum commercio, non nimbi, non grando, non turbidus aer ſiniſtra morbi portendant auguria, ſed operoſi ſtillentur liquores, priſtinæ quamprimùm recuperandæ ſanitati. Id fore pollicebatur Pſaltes ac paranymphus, cùm caneret, Flabit ſpiritus eius, & fluent aquæ. Hei mihi! ſed ab alto, inquies, ningit, & grandina: & etiam timeo ne rigeſcam gelu! Heus, tu, vir ſimplex, frigora horres? at hanc ipſam in te niuem, Deus, vt lanam diuidit, qua tibi veſtimenta contexas, & nebulam fundit vt cinerem, qua focum foueas algori depellendo. Nonne audis, Qui dat niuem ſicut lanam, nebulam ſicut cinerem ſpargit? Vis teſtem adhibeam Apoſtolum, cum profitetur ſe incredibili gaudio exultare, quoties multiplici tormentorum genere Chriſti cauſa obſidetur? ſe tùm demum cœleſtibus flagrare incendijs, cum acerba temporis iniuria, ab omnibus nudus eijcitur? Quid? glaciem, aut grandinem reformidas? at hæc in te, Deus, non vt lapides iactat, capiti conteren-

do,

do, ſed vt medicinæ ſorbitiunculas, tuo purgando ſtomacho tractat, emollit, in os inſerit, non minore tuo bono, quàm voluptate. Nonne audis, Mittit criſtallum ſuam ſicut buccellas. Vis etiam teſtem Apoſtolum? Cum infirmor, inquit, fortior fio. &, Virtus in infirmitate perficitur. O ſapientiam zeli coniugem, ſeculis omnibus prædicandam! O pietatem iuſtitiæ ſororem, perenni laude celebrandam! Talem in nobis ſupremus rerum adminiſtrator, erga omnes animum, talem in ijs qui ceteris præſunt, erga ſibi ſubiectos homines exigit voluntatem. Ite, ite nubes, quo ventus incũbit, dummodo veſtros curſus ſapiens vigilãtia comitetur. Non alios generoſos Chriſti milites, & EccleſiæCatholicæ paſtores egregios, futuros proſpiciebat Eſaias, cum olim admirans, quæreret, qui ſunt iſti, qui vt nubes volãt, & quaſi columbæ ad feneſtras ſuas? Fructuoſæ ſunt nubes, vtpotè quæ aerem, ardentibus vndique perfuſum radijs, obumbrant, & ſtatis tellurem temporibus imbre fertili ditant. Sed tamen collectam interea, columbæ inſtar, eſſe oportet, non minus mitem, quàm prouidam, in mentis Curia ſapientiam, quæ & agenda meditetur, & audito Senatu, motus omnes temperet, & dirigat actiones. Videre cupitis columbam ad feneſtram, fortiſſimum ac prudentiſſimum

 regem

regem Ierofolymorum Ezechiam? Sicut, inquit ille, pullus hirundinis fic clamabo, meditabor vt columba. Enimuero delectat, & iuuat etiam ad mores, honeftas interdum in fermone intexere fabellas. Meminiffe itaque poteftis, Palladi Mineruæ doctrinarum armorumque præfidi, atque Athenarum Deæ tutelari, Noctuam, fapientiæ fimulachrum effe fociatam. Sed diuina & certa maiuultis, viri optimi, his igitur, vt poffumus, hæreamus. In omnem terram exiuit fonus eorum, hoc eft Apoftolorum, & in fines orbis terræ verba eorum. Sed quid interea? In fole pofuit tabernaculum fuum, hoc eft fole ŭ in tabernaculo fuo. Circumuolent igitur nimbi, detonet æther, rugiant nubes, mundi machina quatiatur, dummodo, eodem tempore, in eorum animis fol fapientiæ, fiderum placidos ducens choros, purus, pacatus, nullaque caliginis attactus fuligine, fed omnibus fuperior elementis, fonum moduletur & verba componat, donec eorum opera, ftudijs, laboribus, vita & morte, Catholicæ fidei propagatio cœli regionibus terminetur. Sic habetis & nubes & columbas, & tonitrua & folem. Vereret equidem, Auditores, ne fortè quifpiam, me nomine capere poffet audaciæ, quod hæc in eam quam tracto fententiam referam, nifi me genita æterni Patris fapientia, & Ver-

bum

bum caro factum, ſuo me inſtrueret exemplo, & auctoritate firmaret. Ergo Chriſtum ſalutis noſtræ parentem, morumque ſummum magiſtrum, dum felicibus eius aſpectu viueret in terris, tres ſibi, præter cæteros, è duodecim Apoſtolis, cariſſimos habuiſſe, quilibet, tamquam certiſſimum, confitetur. His tribus, illi placuit noua nomina indere, Iacobum & Ioannem Bonaerges, hoc eſt, filios tonitrui, Simonem vero, quem Bariona, id eſt filium columbæ appellabat, Petrum nominauit. Proh Dei hominumque fidem! Quid tonitruo formidoloſius? quid columba mitius? Hos tamen præcipuè Chriſtus ſemper ſecum habere vult comites hos curarum ſocios, ſecretorumque participes. Dum videlicet circumiecta ſtrangulatus ignis nube immugit, tunc tunc, in medio tonitrui fragore, pipi, ô columba, pipi, vt quantum, vna ex parte, ſalutari homines fulminis pauore cohorreſcunt, ac pene deijciuntur, tantum ex altera, columbæ manſuetudine recreentur, & in ſpem veniæ, ac ſalutis erigantur. Vna tamen eademque & columba eſt, & petra. Quare quæ & dulcis, & ſuauis, eadem firma & ſtabilis eſt. Tu es Simon Bariona? tu vocaberis Cephas, inquit Simoni Chriſtus. &, Tu es Petrus, & ſuper hanc Petram ædificabo Eccleſiam meam, & portæ inferi non præualebūt

aduerſus eam. Quod autem ille, vt ſummus rex, dixit Petro, Eccleſiæ principi à ſe conſtituto, idem, ſimili ratione, vt ſponſus, ſuæ ſponſæ teſtatur Eccleſiæ. nam illam, in ſuo Epithalamio, terribilem, vt caſtrorum aciem, memorat, & tamen columbam ſemper appellat. O quam me hæc columba oblectat & demulcet! nam quid ego de Bariona Petro, & de Eccleſia Catholica profero; cum ipſemet Spiritus ſanctus, Deus verus, hominumque doctor, non ſolum vehementis venti, flammarumque ſpeciem atque imaginem, verumetiam columbæ induerit? Factus eſt, inquit Actuum Apoſtolorum narrator, repente de cœlo ſonus, tanquàm aduenientis ſpiritus vehementis. Ecce tibi diuinum tonantem zelum. ſed iam attende quoque columbam blandientem. Vidi, inquit Ioannes Baptiſta, Spiritum deſcendentem, ſicut columbam, & manſit ſuper eum. Sentio (viri prudentiſſimi) magnopere mihi eſſe pertimeſcendum, ne qui DE ZELO NON SINE SAPIENTIA, hactenus diſputo, nunc inſignem ſtultitiæ ac temeritatis notam contrahere incipiam, quod vos tamdiu, modo inter turbines, ventorumque diſſidia, & procellas, modo inter nubes, fulgura, tonitrua pluuias & grandinem, nulla habita veſtræ nimiæ patientiæ ratione, detineam. Quanquam

quam enim tanta sunt vestræ in me humanitatis argumenta, vt non dubitem, quin omnia æqui bonique consulatis, tamen inconsiderati est animi, alienæ fiducia beneuolentiæ, debiti partes atque officia violare. Quamobrem ego vos in amœnissimum delitiarum hortum, ac sedem omnibus aeris vacuam iniurijs, censeo esse transferendos, vbi sapientiæ, mansuetudinis, ac prudentiæ flores decerpamus, è quibus elicito, & expresso medicato succo, nimiam zeli acrimoniam mitigemus. Cum primus hominum parens, excusso diuini iugo imperij, se posterosque omnes infando scelere obstrinxisset, tantasque in rerum vniuersitate traxisset ruinas, vt ad illas instaurandas, & eluenda flagitia, oportuerit Dei filium insontem, & sanguinem fundere, & crudeli morte occumbere: quis non existimasset futurum fuisse, vt illo admisso crimine, statim Deus, ore flammanti, scintillantibus furore oculis, dextera fulminante, tempestate verborum, in illum hominem irrumperet, eundemque aut cœlo ruente opprimeret, aut terræ hiatu obrueret, aut conuocata tygridum cohorte discerperet? Huc, huc, spectatores, erigite oculos, animũque aduertite; sic enim habet libri Geneseos scriptor, Et cum audissent, inquit,

quit, vocem Domini Dei deambulantis in Paradiſo, ad auram poſt meridiem, abſcondit ſe Adam, & vxor eius, à facie domini Dei, in medio ligni Paradiſi: vocauitque Dominus Deus Adam, & dixit ei, vbi es? Hîc in primis, videtis, Auditores, quàm ſapienter iram, quantumuis iuſtam, comprimat Deus; deinde quanta arte, & quiete. Deambulabat, quippe, in Paradiſo, & quidem ad auram, & poſt meridiem. Excandeſcentes videlicet indignatione pectoris, non minus quàm diei ardorem, admiſſa gratiſſima gelida aura ventilabat; quo lenius & fronte magis ſerena, ſuum inimicum adgrederetur. Denique trementem ac fugientem benignè alloquitur, Adam vbi es? certè vbi te eſſe non putas, meo ſiquidem hæres in corde. Ergo illum Deus allicit ad reſipiſcentiam, mouet ad veniæ ſpem, adducit ad ſalutem. O memorandam ſapientiam cum immenſa charitate certantem! quæ non ſaxa, quæ non rupes, qui non ſilices ad tantam manſuetudinem, non dico ſcinderentur, ſed repentè liqueſcerent? Talem ſe quoque, in vltima ſua myſtica cœna, coram ſibi aſtante ingratiſſimo proditore Chriſtus exhibuit. Quemadmodum enim qui graui aliquo dolore cordis laborant, cataplaſma ſolent ad illud admouere, leniendo tormento, ita Seruator noſter

ac vi-

ac vitæ princeps, cum sibi tunc accendi ad iustam iram viscera præsentiret, Ioannis, à se vnicè dilecti, caput ac vultum suo applicuit pectori, vt tali quasi fomento, cordis cruciatum molliret, ac perditissimi Deicidæ præsentiam, eadem semper animi æquabilitate sustineret. Ergo, vt dicebam, in illo non minus breui, quàm felici nemore, delicatæ sibilus auræ, sese in æstum insinuans, illum temperabat, & aura pomeridiana solis sagittas radiantis auertebat, vtilissimo ad actiones humanas documento. Ad hanc rem plurimum facit quod Christus discipulos suos, hoc effert præconio, Vos estis, inquit, lux mundi. Ne tamen aut isto splendore gloriari possent, aut ne in medijs ita exultarent ardoribus, vt in miserorum hominum tenebras impotentius ferrentur, mirabile est, quod in Actis Apostolorum legimus, vmbra Petri, innumeros varijs morborum generibus fuisse liberatos. Sic tenebræ tenebris, vmbris vmbra depulsa est; illius virtute ac viribus, qui vocat ea, quæ non sunt, tanquam ea quæ sunt. Sic ingens luminis fulgor inumbratus, iacentes, & languidos refecit curauitque. Alter princeps, Petri fortunatissimo martyrio comes, hanc è cœlo quo raptus fuerat, hauserat doctrinam, cum sic Galatas commoneret, fratres, inquit, & si præoccupatus fuerit homo

in aliquo delicto, vos qui ſpirituales eſtis, huiuſmodi inſtruite in SPIRITV LENITATIS, conſiderans teipſum, ne & tu tenteris. Alter alterius onera portate, & ſic adimplebitis legem Chriſti. Ille idem ſpiritu plenus & ſapientia, diligentiſſimè præſtabat, quod præcipiebat prudentiſſimè. Accipite igitur auribus atque animis, viri optimi, prorſus inauditam Pauli ſapientiam, cum pari charitate coniunctam. Tanto enim gentibus omnibus opitulandi deſiderio flagrabat. tanto Chriſti amore, & eius cauſa quidlibet perpetiendi cupiditate æſtuabat, vt ſe noctem ac diem, in altiſſimi pelagi fundo exegiſſe teſtetur. Nocte, inquit, ac die, in profundo maris fui. Quis non iam crederet futurum, vt, velut alter Ionas, enatans, & littori redditus, ſtatim atque iterum homines, (quorum ſalutem tantoperè procurabat) adgrederetur, in eos, gurgitis inſtar, vndarum moles eructaret, & ſalis annonas, atque horrea vomeret? Non ſic ille, non ſic. Non enim alios ſeipſo metiebatur. Sed qui ſe omnibus omnia factum profitebatur, ſe ad omnium captum colligens, & componens, diuino in intimis medullis feruelſcente & concoquente calore, epotum Oceanum in lac conuertit, & ſalis montes ſoluit, & in ſummam tranſtulit dulcedinem. *Lac,* (inquit ipſe,) *vobis potum dedi.* &,

di. &, *Nam si decem millia pædagogorum habeatis in Christo,* (ô flumina! ô salis modij!) *sed non multos patres,* (ô vbera, ô Ambrosiæ!) *Nam in Christo Iesu, per Euangelium ego vos genui.* Sed quoniam adhuc in placidissimo Paradisi sedemus agello, aliquid etiam sese offert animo perdendum. Etenim è dormientis Adami latere, atque osse, præpotens ac prouidus rerum effector, Euam fabricauit. Nunquid non illam poterat, si voluisset, solus, vt eius coniugem, procreare? Cur igitur è latere, & ex osse viri, feminam? In latere viri, & ossibus, magnum est robur: tenerum quid, & infirmum mulier. E Christi latere, in cruce lethali somno dormientis enata est Ecclesia: sua illam induit fortitudine; infirmitates verò nostras ipse portauit. Discant è tanto mysterio, à Christo capite, membra ita inter se deuincta esse oportere, vt non solum roboris ac fortitudinis, sed etiam pietatis & amoris spectata natura, debilibus valentiora succurrant. Iam verò, heu quàm cito ex illo tam iucundo, vernanti ac florido pomario excludimur! In exilium pellimur, infelices! At retorquere tamen iuuat aliquantisper oculos in eius vestibulum. Illic enim video imminentem Angelum, rutilanti gladio metuendum. Sed reuera, occulto fœdere, colludit in illo sapientia cum

Zelo.

Zelo. Sunt istæ minæ, in nullius damnum spectabiles. Versatilem namque fuisse gladium illius Cherubim, testantur sacræ litteræ: hoc est, non punctim, non cæsim intentat Angelus, sed rotat ensem; quasi ludicræ imagine pompæ. Non ista fingo, neque ad libitum affero. Ingenti siquidem beneficio luctuosum illud par profugum, Deus optimus maximus affecit, cum eiecit è Paradiso, ne fortè, inquit, mittat manum suam, & sumat etiam de ligno vitæ, & comedat, & viuat in æternum. Summa enim illorum miseria extitisset, si in tot calamitatibus & ærumnis, in quas, sua culpa, inciderant, perpetuo vixissent. Age igitur, quandoquidem exules sumus, ab altero feliciori exule, arcana cœlestia contemplante, in Pathmon insulam secedamus. Ergo Aquila illa sublimis, & perspicax, vt in sua narrat Apocalypsi, vidit, inter alia multa, hominem in equo sedentem, & ex eius ore gladium prodeuntem, ac prominentem. Equidem dici posse arbitror, hoc gladio, potentem, diuini honoris, animorumque salutis zelum repræsentari. Sed vnde debet existere? è sinu mentis & conceptu, ab ipsa nimirum sapientia, quæ ex ore prodit altissimi. nam ille idem Euangelistarum princeps, asserit equitem eum quem intuebatur, esse verbum Dei. Sed res est non

leuiter prætereunda, quod imperator ille tanta maiestate conspicuus, non manu machæram agitat, sed ore protendit. O humanitatis ac pietatis augurium, nullo vnquam tempore visum, sed planè singulare! Etenim qui bellum indicit, qui hostem adoritur, non ore ferrum, sed dextera vibrat. quis igitur huiusmodi bellatorem ac ducem in prælio reformidet, qui labris tantummodo tela contorqueat? Elephanto quidem certe rictus ac promuscidis sinuata volumina, falcatis ad hostium stragem armatis ensibus possunt. At isti hominum nobilissimæ parti, neque naturæ ad tales vsus prouidit, neque ars subsidio fuit. Oris arma sunt oscula. Quid tenella faciet sponsa in ipso sacri Epithalamij aditu, si equitem istum aspexerit ore gladium eiectantem? quomodo suspirans dicerę poterit, Osculetur me osculo oris sui? Hei mihi! inter vtriusque, ah! inuisus interest gladius, quomodo, quæ in sua oratione, rhetoricorum ignara proœmiorum, repente ad oscula conuolat; ex ore sui sponsi manentem, exordij loco, machæram patietur! Sed timorem ponat, curamque leuet, & caput attollat. Nam hoc ense sponsus eius, veritatis ac iustitiæ rationes quidem exigit; sed ore charitatem pollicetur. Ense fulgurat, vulnerat ore, ense pugnat, ore triumphat. An-

tequam proindead ſpecioſiſſimi cœleſtis regis oſcula quiſquam admitti queat, neceſſe eſt, vt ſuorum peccatorum dolore, quaſi ſagitta, tranſuerberatus, miſericordiam imploret, & tum demum amoto telo, abiectus ad collum amantis, brachia brachijs, oribus ora, non minore reuerentia, quàm amore complicabit. Durum eſt, Auditores, à tam beatis auelli oſculis. Sed à deſerto in deſertum, ab vno exule, ad alterum, hoc eſt à Ioanne, ſummo Chriſti præcone, à Moſem Hebręorum legislatorem ac ducem vocatur oratio mea. Etenim huius mitiſſimi ac prudētiſſimi ducis exemplo, ſeſe quidpiā præbet, non minus vtile ad imitationem, quàm gratum ad voluptatem. Cum itaque aliquando Moſes profugus, ſui ſoceri armenta paſceret, ecce illi propitium Deum adſtare. Poſt aliquot verò ſermones vltro citroque habitos, proijce humi virgam, inquit Deus, quam manu tenes. paret ille. Ecce virgam illico conuerſam in colubrum. Miratur, pauet, horret Moſes. Tum Deus, Reſume quod proieciſti. Imperata facit. Virga in ſeipſam protinus reuocatur ac redit. Ad mouentis arbitrium, ſeſe alternat virga in ſerpentem, & ſerpens in virgam. Moſi Deus præcipit, Ægypti regem Pharaonem tali munitus portento conueniat: Magos Ægyptios illa virga ſuperaturum, & pro-

digia

digia, neque ante, neque postea visa patraturum. Quid hæc sibi volunt? Dicam quod sentio. Virgam zeli, serpentem prudentiæ symbolum esse quis neget? Vultis in virga veniam ad vos? inquit Apostolus. & Christus, Estote, inquit, prudentes sicut serpentes. Aio igitur in obiecta pietatis ac religionis specie, magnam inesse vim, sed maius subesse malum, si prudentia desit. Quapropter viderirint ij quibus aliorum cura commissa est, ne virga quam gestare debent ad ductum, & correctionem, vtantur ad dissipationē ac ruinam. Quid tu vides? inquit aliquādo Deus Ieremiæ, Video virgam vigilantem. Non cæcam, quales sunt orborumscipiones, sed oculatā virgam se videre propheta respondit. Veruntamen quoniam, teste Apostolo, prudentia carnis inimica est Deo, non mutilam, sed integram Christi sententiam debemus amplecti. Non enim tantum ait, Estote prudētes sicut serpētes; verumetiā simplices sicut columbæ. Cauendū igitur est vehementer, ne dum zelus ille, de quo disputamus, sese serpentis prudentiæ maritat, attracto lentè illius veneno trucidetur. Quocirca iucundum planè, ac salutare contubernium, & comitatus erit, si, fœdere inito, columba inter iustitiam, & prudentiam incedat. Placetne, Auditores, vt tres istas nobilissimas, & formosissimas sorores. maximo omnium

nium quotquot sunt, fuerunt, erunt, princi pi semper, & eodem ordine assidentes, illumque comitantes, vobis ego demonstrem! imò verò eius progenitor id in se negotium suscipiat. sic enim ad citharæ seu Psalterij sonum, egregio carmine filium alloquitur. Propter VERITATEM, ET MANSVETVDINEM, ET IVSTITIAM, & deducet te mirabiliter dextera tua. Iámne videtis? Sed contra, heu misella columba, quàm sæpe ab hominum cœtu excluderis! At at enim vero, & hîc grauiter reprehendendi, & cum res postulat, puniendi, qui alio omnino peruerso zeli genere videri volunt esse commoti Heus tu nimirum, qui es in alterius famulatu, qui seruire debes, qui parere ijs qui ius habent imperandi tibi, quid dominos iudicare temerè audes? quid principum ac pastorum scrutari consilia? quid in illorum inquirere sententias? quid in eorum facta, os importunum & impium inferre non vereris? Non tua est virga, nec virgæ oculus. Tuũ est exequi, non iudicare mandata. Paulus Apostolus increpat eum qui alienũ seruũ iudicat, tu dominum tuum insanè iudicabis? Vis scire vbi oculos habere debeas? Dicam: in manibus, non autem in capite eorum qui tibi præsunt. Mihi nõ credis? crede optimo regi, cum maiori se rege colloquẽti. At te, inquit, leuaui oculos meos, qui habitas in cœlis. Ecce sicut

ocu-

oculi seruorum in manibus dominorum suorum: sicut oculi ancillæ in manibus dominæ suæ, ita oculi nostri ad dominum Deum nostrum, donec misereatur nostri. Videns igitur vbi oculos iste collocarat? quorsum in manibus? hoc te docet alio psalmo, Et memores sunt, inquit, mandatorum eius, ad faciendum ea. Sic quoque animum, sic oculos, sic ora ferebat ille, ille, inquam, nullis vnquam laudum præconijs, nullis honorum argumentis, satis pro dignitate celebratus Protomartyr, quandoquidem dum saxorum turbine quateretur, diductis & expansis ingentibus cæli fornicibus, non in secretos atque arcanos Dei sensus, & gubernationis ac prouidentiæ sacrarium, sed in sui principis, & imperatoris manus, imò manus pedesque, cicatricum solibus illustrissimos, auida lumina defigebat. Video, inquit, cœlos apertos, & filium hominis stantem à dextris virtutis Dei. Ex isto beatissimo aspectu, & vincere discebat, & parcere. Inde hauriebat lucem ad sapientiam, robur ad sapientiam, robur ad fortitudinem, & faces ad amorem. Domine, inquit, ne statuas illis hoc peccatum. Hic verè ZELVS NON SINE SAPIENTIA. In hoc clarissimo amphitheatro videas doctrinam cum ignorantia, modestiam cum impudentia, patientiam cum furore, constantiam cum pertina-

tinacia, tolerantiam cum tormentis, vitam cum morte pugnantem, & maxima cum omnium spectatorum admiratione triumphantem. Hæc ille saxa esse reputat, quibus parum abfuit, quin aliquando Christus à furentibus turbis impeteretur. Hæc ille esse ducit, quæ in eius interitu, præ tanti sceleris indignitate, diffracta sunt, quæ quia parricidis illis pepercerunt, parcit & ipse. Hæc dulcia pignora tam commodos sibi seruatū censet in vsus. His suo se coagmentatum credit domino, lapidi angulari. His stabilitum sibi magnificentissimum in cœlo domicilium esse arbitratur. Dum eius hostes, exclamantes voce magna (vt loquitur Lucas) continent aures suas, & impetum faciunt in eum, iste contra, clamans voce magna, Domine, inquit, ne statuas illis hoc peccatum. Illi sitim alieno sanguine volunt extinguere; iste suo. Si Sampson olim parta de Philistæis victoria, præ siti moribundus, de asini molari dente bibere potuit; iste de tot bestiarum dentibus potare non poterit? Illi exitium imprecantur; iste veniam implorat: illi volant ad saxa; iste ad preces; Illi continent aures; iste ora resoluit. Vota non irrita ad Deum ferebantur. Vno postmodum Saulo deuicto, & ad sui currum triumphi producto, copiosiores suę victorię fructus retulit, quàm si omnes ab insania reuocasset, à

quibus

quibus immanissime mactabatur. Cum enim à Christo Saulus orbis terræ Doctor sit postea constitutus, non solum Hebræos quorũ tunc non minus leges, quàm vestimenta seruabat, iã abrogatis illis legibus spoliauit; sed etiã nationes omnes ac populos ad vnus veri Dei eiusque filij agnitionẽ & cultum, & vitę morumque mutationem suis itineribus, curis, laboribus, & prope infinita tormentorum perpessione, & denique profuso sanguine, & capitis nobilissimi obtruncatione perduxit. Samson in leonis à se lacerati faucibus, fauũ mellis olim reperit, eduxit, & edit. At Stephanus Samsone melior ac fortior, è gutture lupi rapacis, tribus Beniamin, non à se interfecti, sed potius ab interitu excitati, nectar delibauit, quo gentium omnium greges, tanquam vitali pabulo nutrirentur. Sic sic de comedente exiuit cibus, & de forti dulcedo. atque ita denique factũ est, vt Stephanus in vno Saulo, de toto terrarum orbe triumpharet. Nunquam vlli Romanorum imperatores, parta de hostibus victoria, tam gloriosa spolia reportarunt. Quamobrem martyr fortissime ac fortunatissime, tot ac tam præclaris rebus, & quidẽ ætatis flore patratis, conscende tandem aliquando lauros inter & palmas, non solum SPIRITV, sed etiam SAPIENTIA vectus, tuoque illo, in tui sanguinis murice purpurato paludamento,

& tam pretiosis lapidibus graui conspicuus, conscende, inquam, in sublime vrbis æternæ Capitolium. Te sidera ardent; te ciues beati faustis acclamationibus excipere gestiunt, te tuus imperator ac Deus expectat: vt quem omnes tam generosè pugnantem ac vincentem spectarunt, nunc demum, ac perpetuo, cominus intueantur tuo te nomine, meritis, & gloria coronatum.

FINIS.

FRAN-

R. P.

FRANCISCI
REMONDI
DIVIONENSIS E
SOCIETATE IESV,
Carminum & Orationum

PARS SECVNDA.

De stella, quæ in Christi ortu Magis apparuit. XLVIII.

ECCE nouum placido consurgit sidus Olympo:
Prouocat antiquas æmula flāma faces.
Non sat erant pleno tot condita lumina cœlo?
Cur stellæ sedes debuit esse nouæ?
Infantem in stipula, polus actus amore, vel vno,
Vt melius videat, crescere vult oculo.

Ad R. P. Hieronymnm Platum Societatis Iesu, suæ ad Confessionibus animæ patrem.

XLIX.

PLate parens, nutrixque data mihi prima salutis,
Deliciæ mentis, præsidiumque meæ,
Tu pietate mihi iuueniles imbuis annos,
Tu iacis æthereas in mea corda faces.
Humanis quanto præstant cœlestia, tanto
Mortali potior sis genitore pater.
Heu! sed non generas vim, qua tibi debita soluam.
Non nisi sis sterilis, non potes esse ferax.

De duabus sororibus virginibus.

L.

ALtera pallescit virgo, rubet altera semper,
Et tamen vna parens, vnus vtrique pater.
Explicat in vultu veneranda modestia vires,
Et sua virgineus porrigit arma pudor.
Sunt rubor & pallor manifesti signa pudoris.
O facile in casto corpore præsidium!
Viuite securæ magna vel in vrbe sorores,
Donec erit vobis frater vterque color.

Virgo

Virgo mater Christo blanditur infantulo.

LI.

GRatia tanta in te sedet, ô puer, atque venustas,
Pendula vt ad nutus stet mea vita tuos.
Vis? volo: si rides, & rideo, ploroque dum fles:
Quod pateris, patior, quod facis, illud ago.
Dum vigilas, vigilo: quin dormio, tu quia dormis:
Si ludis, meus est hic quoque ludus amor:
Quæ tibi deliciæ, sunt hæ mea sola voluptas:
Quæ tua cura, mea est: qui labor, ille labor.
Non magis arbitrio solis flos vertitur vllus:
Non magis à vitreis os simulatur aquis.
Non magis agnus ouem sequitur, leuis arbutus Austrum.
Ah! mihi quid superest cum moriere? mori.

Aspectus sacræ imaginis Christi Domini, à Michaele Angelo Bonarota eximiè effictæ, spectatorem reddit mutum.

LII.

COecus amor, multumque loquax solet esse poetis.
At meus, insignis lumine, mutus amor.
Posse loqui cœcum, mutescere posse videntem,

Res est ingenio non bene nota meo.
O quàm dura mihi frænat violentia linguam,
Dum pascis vultu lumina nostra tuo!
Vel cœcum me reddat amor, mutescere si vult:
Vel si vult videam, det mihi posse loqui.

Sub quadam pia effigie Christi Infantuli sertis redimita, in eius societatem ingredi cupidus.

LIII.

PEctoris ô nostri victor, pulcherrime rerum,
Hæc tibi præcingat texta corona caput.
Florida florentem semper signabit amorem.
Debitus ah! fructus cur nequit inde sequi?
Qui vetat, ille tui mecum rapiatur amore:
Pro tanto ô felix crimine supplicium!

De obitu Guilielmi Remondi parentis sui, à Regis hostibus veneno perempti.

LIIII.

HOstili postquam Remondus fraude petitus,
Mixta venenato pocula felle bibit,
Dulce, Dei arbitrio, dixit, succumbere, stantẽ
Mente, manu inuicta, Regis in obsequio.

Eiusdem Epitaphium.

LV.

INdigna hic tegitur Remondus morte peremptus.
O noua defensæ præmia iustitiæ!
Tanta viri virtus hostes, vis hausta veneni
Istum debuerat frangere vel lapidem.
Si lapis est durus, potis est qui ferre venenum,
Toxica qui fudit durior ille fuit.

Fratri suo.

LVI.

DIcebas, abiens, repetam tua limina, cum sol
Bis quater occiduo lauerit amne caput.
Occiduo se sol decies quater imbuit amne.
Improbe, vela Notis, an tua verba dabas?
Hei mihi, quàm longas numero noctésque diésque,
Dum timeo instabilis prompta pericla freti.
Vt tua pœna æquet tam magnum crimen, amorem
Ah! precor, vt te etiam plectat amore pari.

Eidem pium domando corpori flagellum donat.

LVII.

AH! quid ago tandem: nunquid crudelia mitis

Arma ministrat amor? num pia terga secat?
Horrisonis crepitent crudelia corpora flagris,
Non apta hæc humeris, frater amate, tuis.
Talia flebilibus meditantem dicta querelis,
Est me subridens carpere visus amor.
Ergo me ignoras arcu pharetraque decorum,
Méque, licet molli, tela vibrare manu:
Qui sua terga ferit spectato sanguine Christi,
Arcus in hoc esto dextra, sagitta, flagrum.

Ad quemdam, responsio ad ea verba (ausim dicere, alter ego.)

LVIII.

VT sis idem alter, non hoc audacia præstat,
Hæc fabricare potest vincula castus amor.
Non placet iste timor, procul hinc procul este timores:
Si sit verus amor liber, amare docet.
Stulte, quid est (Ausim?) si diligis, alter es idem.
Sin minus, alter ego, tu simul alter eris.

AMICO.

LIX.

TV potes æternos Christi describere amores,
Delicias vitæ, culte poeta, tuæ.
At mea musa silet, tam dulci languida in igne.

Carmi-

Carmine plus poßis, plus ô amore queam!

Dum ad fratrem suum properat.

L X.

NOn me cymba refert, non remi, vela, nec aura,
Non fluuius, non ars, nauita docte, tua.
Ars natura, & amor fluuius, suspiria venti,
Velaque spes, remi gaudia, cymbula cor.
Non mihi portus erit lunati littoris ora.
Ora mihi felix portus amantis erunt.
Tutus eo. Fratrum castis obsistere votis
Non stella, aut imbres, vnda, vel aura potest.

Ad Ferulum Promptium Pædagogum, mira de se prædicantem.

LXI.

NIl loquitur Ferulus, nil audit, nilque mouetur:
Vtque nihil comedit, sic bibit ille nihil.
Nil dormit, spuit ille nihil, nihil vrbe vagatur,
Et præstare potest nocte diéque nihil.
Nil cantat, videt ille nihil, nil roboris olli:
Nil olli in stomacho est, & nihil in capite.
Talia cum de te memores, superantia sensum,
Te, Ferule, ex nihilo suspicor esse nihil.

Focatiano Fontanatino Calabro, eloquenti viro, sed subrustico.

LXII.

NOmen ab igne trahis, trahis & cognomen ab vndis,
Nobile cognomen, nobile nomen habes.
Est lapis in Lybica veteris Carthaginis ora.
(Si sophiæ regi credis Aristoteli)
Ille vomit flammas, diuerso tempore, & vndas:
Alternant gratas ignis & vnda vices.
Sic quoque fundis aquas, flammas iacis: optima sunt hæc,
Sed doleo quod tu sis, ô amice, lapis.

Eidem, de alio ad eum scribente.

LXIII.

SOllicitus quæris pia quis tibi carmina mittat:
Vt video, nescis, vir bone, quid sit amor.
At si elementa in te natura notasset amoris,
Diceret auctorem pagina fronte suum.
Id tandem agnoscas, ab amico carmina mitti.
Ignoti saltem sit tibi carus amor.
Si nescire potes, qui te dignantur amare,
Quidni, quos nescis, rustice, amare queas?

In quen-

In quendam Pædagogum Nursinum, maledicum, & se magnum esse iactantem.

LXIV.

PAruule doctrina, maledictis magne magister,
Paruule sensu animi, magne supercilio,
Paruule vt adstricta, sic lingua magne procaci,
Paruule per pullos, magne per accipitres.
Paruule vt eloquio, immani sic magne boatu,
O alijs semper paruule, magne tibi!
An te Nursini montes genuere superbum:
An venit è niuibus rusticus iste rigor?
Cum reliquis rebus nequeas te reddere magnũ,
Ah! saltem magnus sis pietate, precor.

De Photio, ab Andrea Scotto Societatis Iesu, Latinitate donato.

LXV.

NOmen habes Scotte à tenebris, à lumine nomen
Photius, hic librum, conficis ipse notas.
Vmbra fit interpres lucis, quis crederet vnquã?
Hoc lucem est tenebris gignere, nocte diem.
Quas non discutiet tua lux, ô Scotte, tenebras,
Si lumen præbet nominis vmbra tui.

De obitu Illustrissimi Domini Francisci de Nesmond, in Senatu Regio Burdigalensi, quondam Præsidis.

LXVI.

Vita prima dies, redeuntibus ad caput annis,
Cum niuea insignis debeat esse nota:
Attamen hanc semper timuit Nesmondius, eheu!
Vltima, dixit, erit, quæ mihi prima fuit.
Anxia mens, sortis facta est præsaga futuræ,
Illa dies ortum vertit in interitum.
Ortus in interitu nouus est, sic ortus in ortum
Transit. An hic vllus debuit esse timor?

DE EODEM.

LXVII.

QVÆ te terrestres, Nesmondi, fudit in auras
Illa eadémque dies te super astra tulit,
Quæ te bis genuit fausto clarißima partu,
Verè natalem quis neget esse diem.

De Pyramide Parisiensi, Henrici Magni, Regis Christianiss. iussu, solo æquata.

LXVIII.

Cæsa-

CÆsareum tumidus taceat Tybris Amphitheatrum,
Nec celebra moles, barbara Memphi, tuas.
Ille Parisiaca Parius lapis arduus vrbe,
Dum ruit, æterna marmora laude præit.
Factorum statuant alij monumenta suorum.
Illa cadunt. Stabile est huic cecidisse, decus.
Magnanime ô Princeps, O Rex æquissime, surgit
Maior ab euersa gloria Pyramide.

De Beato Ludouico Gonzaga, suo quondam in Theologia condiscipulo.

LXIX.

ESt sua frumentis, est & sua vitibus ætas,
Est sua graminibus, vitibus atque sua.
Sunt sua fluminibus constantis tempora cursus
Et trepidat certa lympha sonora fuga.
Ludouice, tuos properas dum fundere fœtus,
Grataque sollicito tendis in astra gradu,
Fructibus ætatem præuertis, tempora cursu,
Præmia maturos præripis ante dies.
Sic tibi flos fructus, sic prima iuuenta senectus,
Sic fuit ambiguus partus in interitu:
Sic fuit hora æuum, sic punctum temporis ætas.
O iuuenis cunctas rumpere digne moras!

HEN-

HENRICI MAGNI,
Galliæ & Nauarræ Regis Christianissimi Epitaphium.

LXX.

SIste hospes: mora parua tibi est hîc namque futura:
Sed reliqua est lacrymis tota terenda via.
Nobilius toto ne quæras orbe sepulchrum.
Rex maior nullo clauditur in tumulo. (qua
Nulla Orco erupit magis impia dextera, quam
Tam sanctum potuit contemerare latus.
Nulla tot ex oculis hausit mors, flumina nullum
Tam mœstos funus fregit in astra sonos.
Sũt lacrimæ, gelido quas cernis marmore, guttæ
Quantumuis felix, flet tamen ipse lapis.
Consocia gemitum. Heu! vitam regni, & decus
Sic potuisse mori, sic potuisse tegi! (orbis

ELEGIAE.

Ignoto.
Antequàm auctor in Societatem
IESV Romæ ingrederetur.

SCribimus ignoto: iubet hoc se nomine dici,
Quem colo constanti, tempus in omne fide.
Illi me nullus, nullus mihi notior illo.

Non

Non alius nostra est testis amicitiæ.
Se, cinere in lento latitans, fouet igneus ardor.
In partu viuit flamma sepulta suo.
Aspice confuso nigrantes æthere nubes,
Clarius è picea fulgura nube micant.
Dum tenebræ terris pigra de nocte recumbunt,
Circumfert nitidum fax generosa diem.
Mollia ne pereant lectæ spiracula messis,
Dormiat in clauso vase Sabæus odor.
Halitus angusto quem strangulat ima meatu
Terra, reluctantes arietat vsque sinus.
Sic etiam noster pretioso tectus amictu,
Viuit, & occulto robore crescit amor.
Castus amor, quẽ non generat malesana cupido
Nec lactat dulci labilis ore decor.
Ah! pereat quisquis mentito nomine amantũ,
Indignas vero fudit amore notas.
Delia nescio quæ, seu Cynthia, siue Corinna,
Nomina sunt ipso luxuriosa sono. (istis!
Quam benè nominibus narratur flamma sub
Quam falsum nomẽ, tã quoque falsus amor.
Naso tuo scelerate igni, scelerate Properti,
Tuque Catulle tuo, tuque Tibulle tuo.
Pierios pudeat corrumpere carmine fontes,
Et temerare sacros Palladis arte choros.
Lasciuo pudeat versu violare Camœnas,
Quas vos virgineas dicitis esse Deas.
Non amor ille fuit, fuit ast insana libido,
Quam peperit claudo Cypria mixta viro.
At noster dudum facili deductus Olympo,

Non

Non nisi diuinum nomen anhelat amor.
Christiparæ in cœtu sociamur Virginis ambo,
Seruitium dominæ quàm mihi dulce meæ!
Stat tibi firma animi dudum sententia, mecum
Edere perpetuæ vota pudicitiæ.
Salue illibati flos corporis, ardua virtus,
O virtus iuuenum gloria, & arma, & amor.
Nos etiam pius ardor agit, iuuenilibus annis
Prona salutari subdere colla iugo.
Patria terra, & opes, pretiosa pericla, valete,
Et vos magnificæ, dulcia damna, dapes.
Ambitioque (licet nostris non nota libellis)
Elatæ mentis certa ruina vale.
Libera pauperies salue, secura supellex.
Quærite nunc alios aurea vincla pedes.
Túque vale, ô premere & dociles qui fundere habenas
Præcipis insueti, caute magister, equi:
Quà se Cæsarei via flexilis Amphitheatri.
Scindit in obliquos peruia facta sinus.
Hîc spumantis equi generosos ducimus orbes,
Præcipitemque cita frangimus arte gradum.
Hic animare vago celerē iuuat impete cursum,
Anxiaque ambiguæ fræna rotare manu.
Interea inclamat, monet, increpat, & pretiosa
Sollicitus vendit voce magister opem.
Subijce nunc alijs, sonipes, sessoribus armos:
Vult alia pedites nos Deus ire via.
Nobilius nos ille docet genus artis, eritque
Mēs eques, & stimuli crux sacra, corpus equus.

Has

Has in nos curas, Deus hæc incendia iactat:
His agimur studijs, vrimur igne pari,
O ignote aliis, mihi sed notissime amice,
Quàm longæ excruciant talia vota moræ.
Sis licet ignotus, satis est: cœlestia puro
Alter in alterius spicula corde legat.
Quis scit an existat, qui se, mihi notus amicũ
Nomine in ignoto cogitet esse meum?
Et fas, & dulce est id credere. gratus amicus
Voce sub ambigua quilibet esse potest.
Sic mihi continget fœcundo in amore latere:
Scilicet in te vno multus amator erit.
Multus amator erit, sed mutuus, ô mea cura,
Noster erit stabili fœdere primus amor.

Eidem.

Vidi te in somnis nuper, cœlestis alumne,
Dum vaga nocturnis luna ruberet equis.
Sollicita intento librantem brachia cœlo,
Fundebas calida plurima vota prece.
Virginea æthereis ardebant ignibus ora,
Lambebat niueas purpura fusa genas.
Lactea ceu radijs texuntur colla columbæ,
Ceu rutilant mixto lilia cana croco.
Qualis ouis Tyrio fit plena pudoris in ostro,
Quale vel imbutum murice flagrat ebur.
Feruida rumpebat tacita suspiria nocte:
Excita, ceu ventis Trinacris vnda fremit.
Ibant irrigui gemino de sidere fontes,
Iugis vt è grauidis nubibus imber abit.

Sterne

Sternere cœpisti sublimi membra flagello,
Atque humeros ferro sæuus arare tuos.
Increpitam qualis proscindit vomere terram,
Vrget & assueto sub boue arator opus.
Qualis in Aetnea Cyclops incude gementes
Fulmineis massas ictibus vsque quatit.
Plagarum vt crepitus audiui, talia, dixi,
Hei mihi! sunt tergo lora terenda meo.
Parce fero innocuum corpus violare lacerto.
Tam grauis est solis debita pœna reis.
Nil mihi respōdes, geminas sed vulnera, sanguis
Inuitam casto rore maritat humum.
Ast ô humus felix! nunquam pretiosior imber
Aspersit molles vere tepente rosas.
Ni violēta in te foret, heu! tua dextera, frater,
Clamarem, ô tactu flagra beata tuo
Tundere non opus est tam multa grādine costas.
In te nil claudunt, ô mea cura, mali.
Ipse tuum si fortè ardes haurire cruorem,
Sat semel est tenerum vel tetigisse latus.
Isacidûm princeps, animosa cuspide virga,
Bis tantum silicis viscera dura ferit:
Et tamen exundant latrantibus æquora turbis,
Pellitur è rigida tabida caute sitis.
Est aliud, credo, quod te in te armatque animatq;
Inque tuos artus te facit esse trucem:
E cruce nimirum Christi pendentis imago,
Sola oculos species nata tenere tuos.
Cernis & in nati pereuntem funere matrem,
Vt niuea hyberno vellera sole liquent.

Terra

Terra labat, fit cœca dies, tumulique patescunt,
Velaque rumpuntur, saxaque scissa volant.
O nimium atroci miseranda tragœdia scena!
Quis moriente Deo viuere possit? ais.
Si mea (dicebas) nequit ire in viscera ferrum,
Nec possum flammis esca, nec esse feris:
Non vnum lethi genus est, diuersa sepulchris
Est nota, sunt plures ad mea fata viæ.
Nate Deo, vnum oro, traiectus amoris vt ictu,
Procumbam ante tuos victima grata pedes.
Plus illata refert decoris mors vulnera amantis
Quam concessa hostis munere vita boni.
Me tamen (ô vitæ princeps) si viuere mauis,
Meque tuis nutrix imbuere vberibus,
Cum mihi Christe tua des vitã morte, necesse est
Vt mea vita meo viuat in interitu.
Langueo: si tenuis calor est, violentius vre:
Vre: damus flammis pabula prompta tuis.
Nũquàm materies tam dulcibus ignibus arsit:
Nunquam tam cupida flammaque materie.
Hei mihi quid cessas: tua quid sententia pendet!
Viuere nec mihi das, nec mihi posse mori?
Ergóne vesani rapient suspiria venti?
Et nocturna meas luserit aura preces?
Conscia nostrorum vos sidera testor amorum,
(Ignea scitis enim vos quoque quid sit amor)
Et te lucenti quæ noctem Cynthia curru
Nunc regis, ô gemitus sæpe miserta meos,
Ah! date tantisper vestro decurrat Olympo,

Ah! si-

Ah! ſinite vt curas leniat ille meas.
Brachia brachiolis mox implicet, oribus ora,
Lumina luminibus, pectora pectoribus.
Addat & his etiam diuini arcana fauoris,
Illaque quæ ſola gaudia mente ſedent.
Vulnere ſi nequeo, cœleſtibus obruta forſan
Delicijs poterit vita perire mea.
Parcite, ſi precibus nimia eſt audacia noſtris.
Sæpe in amore ſolet naufragus eſſe pudor.
Talia dum memorās, clamoribus aſtra fatigas,
Et repetunt querulos antra nemuſque modos,
Ecce mihi placido Chriſtus delapſus Olympo,
Eſt viſus votis cedere velle tuis.
Iamque illo quo terrā animat, cœlūque ſerenat
Reddere quos cuperes cœperat ore ſonos,
Auribus affixis dum mellea ſugere verba
Conor, & O, dico, nox mage clara die!
Hei mihi! neſcio quis, pulſo mihi limine, dixit
Surge, æſtiua breues nox iubet eſſe thoros.
Ille magiſter erat: memores ignoſcite Diui.
Officio fungi debuit ille ſuo.
At tu, ſi poſthac nox tales des mihi ſomnos,
Ah! precor, inuiſum, Phœbe, morare diem.

R. P. Hieronymo Plato ſocietatis Ieſu ſuæ à confeſſionibus animę parenti, de Ode ad ſe miſſa, anno 1579.

SOMNIVM.

IN *media nuper mihi viſus Horatius vrbe*
Vinceret irriguus dum mea membra ſopor,
Amiſſam

Amiſſam deflere lyram, numeroſque ſonantes,
Et tandem Auſonio vertere terga lari.
Vidi etiam eiecto languentia cornua Baccho,
Sertaque pampineis arida temporibus.
Et procul obiecta eſt pulſo Cytherea decore,
E quibus enata eſt naufraga vorticibus,
Mox vbi ſomnus abit, memoratáque viſa re-
Ecce mihi eſt Ode reddita, Plate, tua. (uoluo,
Obſtupui, voceſque tuas, ſenſumque, modoſque,
Pérque grauem plectrum dulciter ire chelim.
Tu canis extinctos melioribus ignibus ignes,
Et liquidum ætherea guttur ab ambroſia.
Dulcîa laſciuæ fugienda papauera formæ,
Mixtaque mellita pocula morte doces,
Tum dixi, erepta eſt lyrico ſua muſa poetæ:
Non dubiam faciunt ſomnia noſtra fidem.
Iam ceciniſſe puella poteſt, & voce marita,
Et digitis caſtas increpuiſſe fides.
Iam poterit vatum verè ſacra turba vocari.
Vos fugiunt Lyrici, Bacche Venuſque, modi.

De admodum R. Patre Claudio Aquauiua Societatis IESV Generali.

QVid iuuat aſſidua superûm langueſcere flamma,
Atque auido hærentem gutture ferre ſitim:
Ignea ni faciles currant in pectora riui,
Viuaque ni dulces nutriet vnda focos.
Ingerit æthereos in nos Ignatius ignes,
Et rapit admota corda peruſta face.

Hinc

Hinc totos iaculatur amor suspiria soles,
Hinc precibus casta sidera nocte ferit.
In tenuem generosa abeunt præcordia fumum:
Dum furit impatiens ima per ossa calor.
Sic tonat, atque imis exæstuat Aetna caminis,
Et pauida incensos ructat in astra globos.
Vnda veni: in nostros aqua viua illabere sensus:
Torrida diuino viscera fonte riga.
Credita putrescunt calefactæ semina terræ,
Ni bibulum humectet fertilis imber agrum.
Sole sub æstiuo fruges non educat annus,
Ni pluuius lactet germina nata liquor.
Ni Pharias tumidi fæcunda licentia Nili
Molliret glebas, tristis arena foret.
Iam video alme tuos, Claudi, flauescere cāpos,
Maxima spes cœpit fructibus esse minor.
Sancta tuis imbuta virent humoribus arua,
Atque tuo fundunt pæbula grata gregi.
Attamen & laxas & claudis flumina, Claudi,
Inque tuo proprias pectore condis aquas.
Hoc sapere est, curare alios, seseque tueri,
Et sibi seruatas spargere diuitias.
Sic nunquam extincto labuntur lumina cœlo,
Sic semper pleno flumina fonte cadunt.
Eia age, O Ignati, cumulata incendia iacta,
Eia age, in hos ignes, O Aquauiua, flue.
O nos felices, quibus icto fœdere semper,
Vnda fouet flammas, flāma ministrat aquas.
Dum Loiolæus cœlesti missus ab arce,
Ignis erit viuus, Claudia viuet aqua.

LVDO-

LVDOVICO XIII. REGI GALLIAE ET NAVARRAE Christianissimo.

Nomine, Rex, felix ataui, virtute parentis,
Matris tutela, gentis amore tua,
Accipe quæ fundit tua Gallia, vota precesque,
Heu! nondum siccis Gallia luminibus.
Orbis deliciæ, teneris tibi surgat ab annis
Gloria, per nullos immoritura dies.
Te foueas tellus, te cœlum curet alumnum,
Virtutum stupeat Roma, colatque tuam.
Te paueat geminæ populus qui subriget Vrsæ:
Fama tua extremos terreat Æthiopas.
Seu petat Hesperios tua vis, seu tentet Eoos,
Vincat & Eoos, vincat & Hesperios.
Quem pace & bello Magnũ suspeximus omnes
Henricum, de te Gallia dicat, hic est.
Viue ô, viue diu. natorum hic cernere possis
Longæuus natos, serus in axe Patrem.
Talibus auspicijs, felicia facta sequentur:
Et facient dictis vota precesque fidem.
Quis parere in nondum firmato corpore robur,
Quis regnare amplo paruus in imperio,
Tutela maiore queat, mage gente fideli,
Vel meliore atauo, vel meliore patre.

AMORVM DIVINORVM LIBELLVS.

Hic libellus (amice Lector) dum excuderentur superiores versus, typis casu excidit.

Quare eius propria sedes esse debet pagina 178. post 47. Epigramma libri secundi.

I.

Paruulus ille suis me primus cepit ocellis,
Virgineo matris qui iacet in gremio.
O in amore bona sors! formosius illo
Nil dare terra potes, condere Olympe nihil.
Hoc ego iamdudum felici saucius igne,
Langueo per longas in mea fata moras.
Vita vale, quicunque meos cognoscit amores
Dicet, non poterat dulcius iste mori.

II.

Non sat erat consumpta vnum per viscera telum?
Binæ conspirant in mea corda faces.
Populus in gremio dum ludit, & ore puellæ,
In iaculo iaculum est, ignis in igne sedet.
Tela quatit puer & genitrix: incendia iactat
Pulchra parens, glomerat pulcrior ipse puer.
Eia agite: haud magnum est si vos duo vincitis vnum:
At mihi honor, gemina succubuisse manu.
Dulce malum! ah! cur non data sunt mihi pectora plura,
Pectora tam caris obuia vulneribus!
Dulce mori! ah! cur non geminata est vita beatis
Esset quæ totitem debita funeribus!
Non est hæc tua flamma Venus, non arma Cupido.
Fœda parens, procul hinc, hinc fuge fœde puer

At tu

At tu qui nostrum rides, aut spernis amorem,
Quisque es, ô possis igne perire meo.

III.

ECce iterum noua bella in me, noua tela parantur.
Heu! mala ne capiti sint, precor, illa meo.
Sarcina grata puer, matris non occupat vlnas,
Sed vir funestæ brachia dira crucis.
Dum molli in stipula vagit pulcherrimus infãs,
Prouocat & geminis sidera sideribus,
Protinus excussa est mea pectore vita, fuere
Cunæ arcus, virgo dextra, sagitta puer.
At nunc conspicua magnus stat in arbore princeps:
Terra fretumque pauent, axis vterque tremit.
Hei mihi! quid faciã? quo se certamina fundẽt?
Qui perij, toties an perijsse queam?
Nil poterunt galea, aut clypei septemplicis orbes
Crux arcus, Deus est dextra, sagitta gigas.
Proh superi! efficiet quid tanta potentia? morti,
Credo equidem, moriens inferet ille necem.
Scilicet haud magnum est, moriatur quod mea vita:
Sed noua res, quod mors possit & ipsa mori.
Mortis at interitus vita est, Sic vita recurrit,
Quam rapit exoriens paruulus ille mihi
Nescit amans quid sæpe velit: modo viuere mavult
Vt possit dulci semper amante frui.
Et modo pro caro mauult occumbere amoris
Ipse sui vt proprio funere testis eat.

Felix tempestas, quocunque vocauerit æstus,
Dum desiderio fluctuat ille suo. (quibit
Alterutrum tamen ad scopulum feret aura, ne-
Naufragus, & dubijs esse superstes æquis.
Solus, amantum hæc vota beas, quia viuere,
Christe,
Das in amore, simul das in amore mori.

IIII.

O Mea lux, escã quærebã, quæ mihi semper
Pelleret vna famem, sisteret vna sitim:
Dicebam, nihil heu! poterit succurrere, non si
Deuoret hæc terras, hauriat illa mare.
Si dolor & lachrymæ possent, satur esse dolore
Debueram, & lachrymis ebrius esse meis.
Vos nemora, & montes, vos prata virẽtia testor,
Et te blanditiæ, vitrea lympha, meæ.
O quoties dixi, nostri miserescite, cum vos
Ferre mihi optatam posse negastis opem.
Talia languenti traho dum suspiria corde,
Et referunt gemitus antra miserta meos,
En tandem audiri vox est de rupe propinqua
Visa mihi, & tales fundere amica modos,
Insatiata cupido animi est: hanc pascere tentas
Praue, nec vnde licet, stulte, nec vnde potes.
Partus ab immenso genitoris pectore fusus,
Non nisi ab immensis pascitur vberibus.
Accipe quem velat mentita placentula, sumes
Omnia in exiguo, quæ cupis, orbiculo.
Sic ait. at medijs mox serpere flamma medullis
Cœpit: ad has epulas totus anhelus eo.

Esca reperta mihi. nihil vltrà quærere fixum est.
Tota vale tellus, & vale Oceane.

V.

NVnc cantare lubet: cane sobria & ebria, dulces
(Et superi inuideant) ô mea musa dapes.
Tergemino dicam rerum compendia versu,
Vt breuis esca mea est, sic breue carmen erit.
Mortali cum nos alimento vescimur, id fit
Nostra repente caro, quod fuit ante cibus.
At cum diuina datur hic accumbere mensa,
Conuiua in sumptum vertitur ipse cibum.
Sic alis, & generas, sic nos, mea viscera, Christe,
Esse facis Christo, & Deus esse Deos.

VI.

LOnga breuem gustũ mordent fastidia, stultis
Faucibus humanæ quem peperere dapes.
Rursus, & ad mensas reuocat natiua cupido.
Atque iterum à mensis hæc saturata fugat.
Conditio infelix hominũ, cum proxima nectat
Insidias ipsis nausea delicijs.
Christi famem exples & stimulas: sic firma voluptas
Dum semper saturor, semper & esurio.

VII.

CRedideram (mea vita) tuis in amoribus, omnem
Esse quidem mẽtis spemque bonumque meæ:
Ex alijs veluti specioso è fulgure, rebus
Instare humanum fulmen in exitium:
Attamen hic blandiri auras, per & otia duci

Prodiga nescio qua tempera lætitiæ:
Nectar & ambrosiã Superum fore: nõ nisi cælo
Cœlestes vnquam feruere delicias.
Eheu! mellito quamquã haud infecta veneno,
Pungere tunc qualis cœperat ora sapor! (que
At nunc, Christe, mihi nihil es nisi risus, honor
Nil nisi deliciæ, nil nisi diuitiæ.
Quin etiam lacrymæ solatia, pœna voluptas,
Nectar summa fames, & sitis ambrosia,
Nix pruna, vmbra æstus, Zephiri suspiria, lan-
Robur, prælia pax, & medicina malũ, (guor
Spes pugna est, superare pati, victoria vinci,
Pauperies spolium, certaque vita mori,
Pompa triumphalis funus, tumulusq; trophæũ,
Gloria contemptus, claraque fama tegi.
Quid loquor infelix? in amore quid vlla re-
quiro
Præmia? mercator non fuit vllus amor.
Munus amoris amor. pretium est & amantis
amare,
Nudus amor, quod nil præter amare potest.
Cœcus amor, quod nil nouit, nisi semper ama-
Et quod nil curat, fingitur esse puer. (re,
Certat amore, feritque, licet sit semper inermis
Quãuis & elinguis, quàm benè dicit! Amo.
Proh superi! qualis natura hæc, imperiumque!
Quanta amor est moles! quantum opus, v-
nus amor!
Dicite (nãq. & vos quõdã didicistis) amare
Anne magis facile est, an mage difficile?

Quid-

Quidquid sit, faciles vnum, ah! cōcedite quęso
Vt semper peream, dummodo semper amen.

VIII.

QVisquis is est artem qui nondum nouit amandi,
Hæc legat, & voti compos amare sciet.
Non opus inprimis tota miser vrbe vagetur,
Eius vt in casses præda petita cadat.
Nec terere in vanis fas est male iacta theatris
Lumina, non cautis retia luminibus.
Infame aucupium est, stultam vir siue puellam
Implicet, insanum siue puella virum.
Quo ruis infelix? cur te discerpis? egenti
Heu frustra varius quæritur orbe decor,
Quod si liber amor foret arbiter vnus amandi:
Arbitrio starent ista vel illa tuo.
Nulla in amore datur tibi libera copia: si sit
In te sparsus amor, non erit vllus amor.
En tibi quærendi quod ames, labor omnis ademptus.
Vnus amandus, & hunc præter, amare nefas.
Formosum quæris? nihil est formosius illo:
Moribus insignem? solus at ille bonus:
Immensumne opibus? nihil est opulentius illo:
Munificum? dotes prodigit ille suas:
Ductorem? dux est, regem? rex: quæris amicum
Qui redamet? redamat, quia amat ille prior.
An patrem? pater est: pastorem? pastor & ille:
An sponsum mauis? sponsus at ille tuus:
An fratrem? frater, comitē, comes, ánne fidelē?
Esse

Esse vel ipsa fides non mage fida queat:
Præsentem? præsens, constantẽ? non ita constans
Rupes quam Siculi verberat unda maris:
An placidũ? blandus, iucũdũ? est ipsa voluptas
Si pateris, tecum qui patiatur, habes.
Doctorem? omnis ab hoc manat sapientia fonte:
Sollicitumque? preces præuenit ille tuas:
Vulneraq; & morbos curantem? sanguine mor-
Atque suis curat vulnera vulneribus. (bos,
Quod si fortè cadis, cadis inter brachia arman-
Puluinar capiti subijcit ille manum. (tis
Si fles, ille tibi rorantia lumina siccat.
Et mœsta ambrosijs oribus ora premit.
O felix oculus portum visurus amantis,
Sit licet in lacrymis naufragus ipse suis?
Ecquid adhuc optas? parcetur, si prudor absit.
Cordis in auxilium pellitur ore calor.
Quæris amatorem qui sit Deus? ô nimis audax,
Sed merito in reliquis semper egene bonis.
Tu quodcũque ardes, colis ô scelerate tuumque
Dicis & esse animum, dicis & esse Deum.
Ergo cum poscas cui tu tua pectora mactes,
Pluribus & nequeas templa dicare dijs:
Eia age, rũpe moras: vnus tibi surgit amicus,
Qui simul est verus, quem cupis esse, Deus.
De genitore Deo Deus est: de Virgine natus
Idẽ homo. sic tãto in principe forma duplex.
Alter in alterius se spectat imagine amator:
Illi dum similis redderis, ille tibi.
Et facile est placuisse illi: non respuit vllum.

Et

Et nihil est tali dulcius obsequio.
Nec pretiũ exigitur: satis est amor, affer amorē:
Si non attuleris, ibis amice foras.
Non opus vndantes ferro crispare capillos,
Ludat vt in tremula molliter aura coma:
Nec labyrintheum subrecto turbine crinem
Texere, quo simplex illaqueetur amor:
Sed neque mendacem vultũ medicare venenis
Quæ perimant oculos stulte iuuence tuos:
Nec pepulisse leui terrã pede, frangere & orbes
Vt leuior pede sis, orbe volubilior:
Æmula nil prodest oculis rutilantibus astra
Vincere, & ad pugnam dente vocare niues:
Nil prodest tua si vestis Conchilia potet,
Nec si laxa Chlamys gemmea saxa voret:
Nec si lasciua merx Indica pendeat aure,
Annulus aut teretes mordeat articulos.
Non satis est vnus muliebris mundus? amanti
Iam nouus inuentus dicitur esse viro.
Detegere haud tales potuit patientia mundos
Rectore ingenio, magne Columbe, tuo.
Heu, quibus in nugis pretiosa absumitur ætas
Ætas heu, solis viuida criminibus!
Væ tibi non compto: reus est si sordeat vnguis,
Si natet in patula, væ tibi, nare pilus.
Væ tibi, ni de te nubem iaculeris odorum,
Quos tibi sudat adhuc, iã propè siccus, Arabs
Calceus excutiat ni rugas, nique decenter
Aurea præcincto fascia crure fluat.
Interea citharam gemitus rapit, inque dolorem

Incre-

Increpita & lacrymas cogitur ire lyra.
Hic modo felicem ſtygijs modo deuouet vmbris
Illum, quo primum cœpit amare, diem.
Illa ſuos modo deplorat, modo cantat amores.
Sic ſic ipſe ſui ſit feris hoſtis amor.
Luxuria eſt eius genitrix, ſpes improba cunæ,
Stultitia eſt nutrix: & cibus ipſe furor,
Vitaque nil aliud, niſi dura tragœdia: ſunt &
Blanditiæ fraudes, dulcia verba doli:
Illi nil certum eſt, incertum præter amantem,
Incertumque, niſi certa ruina, nihil.
Exitium eſt finis, ſunt hæc tua præmia amator,
Ni tamē eſt merces, quod male amaſſe pudet.
Hinc procul ô tandē, procul hinc inſania tanta.
Non ſic, ô non ſic, Chriſtus amare docet.
Ara tuum ſit cor, tu victima, thuraque vota:
Solus adoratus ſit tibi Chriſtus amor.
Candidior Cycno ſit mens, ardentior Oſtro,
Vitaque cœruleo purior amne tua:
Sint tibi cœleſtes curæ, gemituſque preceſque
Fercula menſarum, deliciæque thori:
Ventus & aura tuas diſcāt, referatq; querelas
Et deſiderijs mugiat vnda tuis:
Dulcia in aſſiduam coeant ſuſpiria nubem:
O quanta è tali fœnora nube pluent!
Sed caue ne qua animū ferit malè ſana cupido,
Mundaque ne minima pectora labe notes.
Linguam, aures, oculoſq; doma, ſenſuſq; coerce,
Et mens non vigiles increpet excubias.
Si tamē erraris, ſubito geme, tūc quoque curret
Ad

Ad lachrymas, culpa non memor, ille tuas.
Sic viues felix, moriere beatior, & mox,
Quæ noua succedit vita, perennis erit.
Hæc ars. Ipsa suo sic pagina conflagret igne,
Quæcumque alterius nomen amoris habet.
Et quæ te quondam procul expulit, ars quoque tecum
Ah! pereat tandem perdite Naso tua.

FINIS.

